

# COMMENTARIUS

DE ERECTIONE ET GESTIS

## Collegii Societatis Jesu Luxemburgensis

1570 1608.



COMMENTARIUM HUNC, EX MONUMENTIS ARCHIVI COLLEGII  
CONCINNATUM, R. P. **JOAN. BAPT. A FLORBECQ**, COLLEGII  
RECTOR, CORRECTUM ET POLITUM, ROMAM MISIT, CUJUS  
ACTUS FIDEM FACIT DECLARATIO EJUS MANU SCRIPTA

LUXEMBURGI, 21 JANUARII 1662.




Ex originali descriptis  
P. Joan. Bapt. van **MEURS S. J.**

Et in Iubilaei trisecularis  
Collegii Luxemburgensis ornamentum  
Luci publicae dedit **M. d'HUART.**







Les Jésuites prirent de bonne heure la résolution d'écrire eux-mêmes l'histoire de leur institut. Le Père Orlandini, qui s'était fait remarquer par la facilité de sa rédaction, fut chargé de la commencer ; après lui, le Père Sacchini, qui avait professé la rhétorique à Rome avec beaucoup de distinction, y travailla pendant dix-neuf ans, sans réussir à la terminer. Le Père Poussines, (en latin Possinus), élève du Père Petau, fut appelé à Rome en 1654 pour la continuer. Tous les trois puisèrent leurs informations dans les „*Litterae annuae*“ et dans les notices historiques que, depuis le généralat d'Aquaviva, les recteurs des collèges étaient obligés d'envoyer aux archives de la Société à Rome sur les maisons qu'ils étaient appelés à diriger.<sup>1)</sup> Ce fut le 21 janvier 1662 que le Père Jean-Baptiste de Florbecq<sup>2)</sup>, arrivé à la troisième année de son triennat rectoral, adressa au Père Poussines à Rome la seconde partie du *Commentarius de erectione et gestis collegii Societatis Jesu Luxemburgensis*. La première se trouvait depuis quelque temps en possession de l'historien de la Compagnie. L'ensemble constitue un travail très-complet, bien ordonné, d'une valeur incontestable. Les faits y sont groupés année par année et celui qui les a recueillis ne semble s'être attaché à autre chose qu'à l'exactitude et à l'ordre chronologique. Le Père de Florbecq était en mesure d'être bien renseigné. Il connaissait les principales

<sup>1)</sup> *Monumenta Germaniae paedagogica*, II, 343. Epistola R. P. Generalis Claudii Aquavivae de modo scribendi historiam cuiusque collegii seu donum pro archivio Romano. A. 1586, 30 dec.

<sup>2)</sup> Le Père Jean-Baptiste de Florbecq, né à Valenciennes le 10 avril 1610, entra dans la Compagnie de Jésus le 4 décembre 1628. Il fut ordonné prêtre en 1639 et fit sa grande profession en 1645. Il enseigna la grammaire et les humanités pendant dix ans et fut successivement recteur des collèges de Cambrai, de Luxembourg et de Valenciennes. C'est dans cette dernière ville qu'il mourut le 11 octobre 1665. (D'après une note communiquée par le R. P. J.-B. van Meurs S. J. Voy. aussi *Vannerus Jules*, Notes biographiques sur les Jésuites nés dans l'ancien Luxembourg ou ayant fait partie des collèges de Luxembourg et de Marche. Luxembourg, 1899, p. 7).

familles du pays et avait sous les yeux les documents antérieurs et authentiques. C'était d'ailleurs un homme qui unissait à un vaste savoir et à une piété fervente toutes les qualités d'un administrateur. Les années de son rectorat furent un bienfait pour les collèges où il passa. Il avait pris la direction de celui de Luxembourg le 17 juillet 1659.

C'est à la bibliothèque de la Compagnie de Jésus à Exaeten (Limbourg hollandais) qu'est conservé le manuscrit qui contient sous le titre de „Commentarius de erectione et gestis collegii Societatis Iesu Luxemburgensis“ l'histoire de la fondation de l'ancien collège de Luxembourg. Il eût été difficile de trouver pour le publier une meilleure occasion que celle que vient offrir avec tant d'à-propos le troisième centenaire de cet établissement. Le R. P. van Meurs, en se chargeant de transcrire le précieux manuscrit, a droit à la reconnaissance de tous les amis de notre athénée. L'ordre auquel il s'honore d'appartenir tient une place très considérable dans l'histoire de l'enseignement; il a puissamment contribué au développement des lettres et des sciences dans notre pays. La lecture du Commentarius prouvera une fois de plus que tous ses efforts ont eu pour premier mobile et pour dernière fin de donner à la jeunesse une éducation qui, ne sortant jamais de la sphère élevée des principes de la religion et de la morale, contribua au triomphe de la vérité chrétienne.

Luxembourg, le 5 avril 1904.

M. H.



**Commentarius de Erectione et Gestis  
Collegii Societatis Jesu Luxemburgensis  
1570—1608.**

---

LIBER PRIMUS.

Ad historiam scribendam multa opus est eruditione, eloquentia, otio. Quibus omnibus cum caream, et tamen ea quae de collegii Societatis Jesu in civitate Luxemburgensi erectione et gestis cognovi, posteritati transscribenda judicavi, commentarium rudi opere confidere decrevi et in eum, quae singulis annis, ex quo Patres Societatis Luxemburgi esse coeperunt, gesta sunt referre: ut hoc pacto saltem materiam historiae sive communis totius Societatis sive particularis praedicti collegii futuro scriptori praebeam. Priusquam vero ad annos singulos distincte persequendos descendam, necessarium est tum de ditione et civitate Luxemburgensi tum de occasione et mediis, quibus Societas in eum locum inducta est, pauca praemittere.

Ditio Luxemburgensis, quae et ducatum Luxemburgensem et comitatum Chiniacensem communi nomine et jurisdictione hodie complectitur, a septentrione in meridiem inter Leodium et Metas fere quatrudui itinere, ab ortu in occasum inter Mosellam et Mosam tridui extenditur. Patria montosa quidem, aspera et infocunda qua parte septentrionem et occidentem spectat, ad ortum tamen et meridiem amoenior et vini et tritici omnisque generis frugum ferax. Oppidis multis pagisque incolitur quorum incolae plerique lingua Gallica, aliqui Germanica utuntur, ii nimirum qui ad solis ortum Mosellae et Germaniae finitimi sunt, qui fere tertiam totius ditionis partem occupant. Illic situm est Luxemburgum, primaria totius provinciae civitas, tot ducum et Caesarum origine nobilis, Treviris

et Metis 9 horarum itinere distans. In illa supremus totius provinciae praefectus seu gubernator et summum regis tribunal et concilium sedem habet: eodem ad generalia comitia suo tempore equestris aliquique ordines confluunt. A tempore Philippi Boni Burgundiae principibus et modo Hispaniarum monarchae haec ditio cum reliquis Belgii provinciis subest. Ecclesiasticam vero jurisdictionem, quia proprio caret episcopo, Trevirensis, Coloniensis, Remensis archiepiscopi, tum episcopi Leodiensis, Metensis et Verdunensis, finitimi praesules exercent: civitas vero Luxemburgensis et fere ii qui germanice loquuntur Trevirensi subduntur.

Erant Luxemburgi, priusquam Societas illic pedem poneret, tria religiosorum coenobia: Abbatia nimirum ordinis S. Benedicti in ima valle ad Alisuntiam fluvium, quae olim in monte prope arcem Luxemburgicam modo dirutam sita in S. Ioannis Baptiste hospitalem domum translata fuit; tum Franciscanorum quos Conventuales seu Gaudentes vocant monasterium, in superiori civitatis parte, in quod paulo ante Societatis adventum pauculi FF. de observantia Minores, conventionalibus emissis, introducti fuerant<sup>1)</sup>). Denique fratrum Praedicatorum exiguis conventus in domo privata apud S. Michaelis parochiam initium fecerat, monasterio quod ad radicem arcis ab aliquot seculis habuerant, tempore Caroli V everso a Gallis; unde postmodum

---

<sup>1)</sup> Eustache de Wiltheim, dans son ouvrage intitulé: „Kurtzer und schlechter Bericht“, p. 312, rapporte ce fait comme suit: „Ihre babstliche Heiligkeit Pius V hat am 2. novembris 1567, im zweiten jahr saines pabstums, aus eigner beweguns und wegen das die frates conventionales oder Knodlerherren ergerlich lebten, durch sein bullam dem hochwürdigen P. Angelo Aversano, general-commissario der minderen bruder der observanz über die niederländische provinzen, anbefohlen, alle der conventionalen, es seien mans- oder weibsperschonen, dorten einzunehmen, mit seinen brüdern zu besetzen und die observanz einzufuhren. Hat hochstgemelter commissarius den 27. mai 1569 placet bei dem duc d'Albe, umb solch bullam in execution zu stellen, ausbracht, und weil er selber in perschon nicht in alle kloster sich verfugen koennen, dem ehrwürdigen Patri F. Juliano de Quercu, provincial der flandrischen Provinz, am 20. junio bevelch und commission überdragen, sich in Hennain, Flandern, Artois und Lutzeembourg zu begeben, die pabstlichen bulle zu exequieren und zu volnziehen, wie er dan dem zuvolg die observanten ein und die conventionalen ausziehen thun, und gemeldes kloster, welches zuvorn in die Colnische provinz gehoret, in die Flandrische gezogen. Was gemelte conventionalen vnu renten und inkunften gehabt, seind verkauft und zur reparation des closters, so... 1534 mit der statt abgebrendt, angewendet worden.“ — Voyez *Ons Hemelcht*, 1903, p. 644, un résumé de ce passage. (Note communiquée par M. van Werveke).

ad Trinitatis aedem migravit. Erat adhaec nobilium virginum ordinis S. Clarae coenobium S. Spiritui sacrum, opibus magis quam sanctimonialium numero florens. Clerus vero perquam exiguus in quatuor parochiis consistebat.

Porro per totam Luxemburgensem ditionem, quam multi imperabant praesules, tam erant pauci qui animas curarent; et tamen circa annum 1570 haereticorum fere toto Belgio furor ecclesiis, pietati et priscae fidei vastitatem inferebat; ex alia vero parte Iuliacensis ducatus, Palatinatus, Metensis et Sedanensis civitates finitimae haeresim palam profitebantur, ut prodigi instar sit, quod in tanta fervoris christiani remissione Luxemburgensis patria, haereticis undique cincta, illibatam non modo Regi Catholico, sed etiam Deo et Romanae ecclesiae fidem eandem certe quam ab ipso S. Petro apostolo ejusque discipulis acceperat, integerrime conservaret.

Non aberat interim periculum, et aliquot hominum, qui velut e specula imminentem et minantem hostem religionis procul spectabant, perpetua sollicitudo. In his praecipue ante omnes enituit vir amplissimus dominus Antonius Houstius<sup>1)</sup>, comes palatinus, eo tempore Regis Catholici in Luxemburgensi concilio senator et archivii praefectus, qui cum praeter juris divini et humani scientiam priscam et avitam religionem multaque pietatem et sapientiam pectore reconditam possideret, ad haec quantum Societas Iesu, quae in Belgio, Treviris, Muisiponte aliisque in locis innotescere cooperat, ad animarum bonum vel conservandum vel promovendum valeret, probe haberet perspectum, in eam venit sententiam, nihil se Deo gratius, nihil patriae suae amantissimae saluti utilius facturum, quam si eandem Societatem Iesu adduceret eique collegium in civitate Luxemburgensi procuraret; nempe futurum, ut per illius functiones ignara et rudis iuventus institueretur, adulorum

<sup>1)</sup> Antoine Houst, chevalier, né à Luxembourg, seigneur d'Oostkerke et de Brebingen, fut appelé, en 1570, à remplir les fonctions de Conseiller au Conseil de Luxembourg, puis de Conseiller au Conseil Privé, le 11 octobre 1578. Après avoir rempli plusieurs missions diplomatiques, il mourut à Binche (Hainaut) le 12 août 1605. Houst s'était fait le promoteur de l'établissement des Jésuites à Luxembourg. La fondation du collège fut à proprement parler son œuvre, comme le prouve chaque page du *Commentarius*. Voy. aussi *Bertels, Historia Luxemb.* 201 et *Renon de France, Histoire des troubles des Pays-Bas*, publiée par Charles Piot, II, 208 et 623.

langüens in pietatis exercitio animus excitaretur, errorum, superstitionum, haereson malorumque plurimorum instans quodammodo exercitus profligaretur. Occurrebat praeterea, pro cleri adeo dissoluti et ignorantis instauratione non modo scholis, ut in litteris institueretur iuventus, sed insuper domo aliqua opus fore, in qua selecti istius patriae iuvenes seorsim ad virtutem et pietatem a patribus instituerentur, ex qua tanquam e seminario prodirent dein viri litteris, pietate et virtute praestantes, qui per Luxemburgensem ditionem distributi animorum curam haberent. Has tam salutares cogitationes, postquam diu in animo coxisset Houstius, tandem cum illis qui iis exequendis prodesse poterant communicat. Felicitatis fuit quod id temporis ill<sup>mus</sup> princeps Petrus Ernestus comes Mansfeldius<sup>1)</sup> provinciae Luxemburgensis gubernacula teneret. Is enim, quamvis in haereditariis suis ditionibus exorientem Lutherum eiusque haeresin spectasset, religionem tamen fidemque auctam inconcussam semper servarat, et gloriosissimi Caesaris Caroli V aulae pridem adscriptus, sub illius signis militiam per Italiam, Africam, Galliam et Belgium secutus, ab eodem anno Domini 1545 Luxemburgensis ditionis gubernator primum constitutus, dein anno Domini 1559 a Philippo II, eius filio, Hispaniarum rege, in Hispaniam abeunte in dicto officio fuerat relictus. Eum igitur virum provinciae suae gubernatorem nactus Houstius, cum omnia apud illum posset et singulari gratia valerer, arrepta occasione, primum docuit quanta mala Luxemburgo impenderent, tum quibus mediis propulsari possent, denique qui insuper sollicitandi et impellendi, ut manum remediis procurandis admoverent. Ad haec eadem cum collegis suis senatoribus regiis pertractat, quos ad similes conatus facile induxit.

Agebatur annus Domini 1577, cum, turbatis fere omnibus Belgii ordinibus, etiam ditionis Luxemburgensis ordines omnes ad comitia in civitatem evocati fuerunt. Hic Mansfeldius, post-

<sup>1)</sup> Mansfeld (Pierre-Ernest, comte de), d'une des maisons d'Allemagne les plus illustres par le grand nombre de capitaines qu'elle a produits, fut nommé gouverneur de Luxembourg le 6 juin 1545. Ayant été fait prisonnier par les Français, il fut remplacé, de 1552 à 1557, successivement par Martin de Rossum et Charles de Brimeu. Il reçut une nouvelle commission le 1<sup>er</sup> octobre 1557 et conserva dès lors ses fonctions de gouverneur de Luxembourg jusqu'à sa mort arrivée le 25 mai 1604.

quam adstante concilio de more ea quae regis nomine ipsi mandata fuerant exposuisset, subjecit ea quae pridem de communi religionis bono promovendo ab Houstio suggesta animo conceperat, gravique et seria oratione ordines est adhortatus etiam atque etiam viderent ne religio Catholica ad eum diem integra in patria sua caperet detrimentum: meminissent, in quas calamitates tum vicinae Belgii provinciae, tum Gallia et Germania proxime elapsis annis incidissent. Similium malorum similes se habere causas in ipsis patriae suae visceribus: ingentem nimirum populi ignorantiam, summam pastorum oscitantiam, omnium in moribus dissolutionem; nihil proprius abesse quam religionis et avitae fidei ruinam: ea eversa, etiam illam quam antehac servassent Regi Catholico cum totius orbis approbatione fidelitatem funditus eversum iri. Tanto malo uno impetu remedium adhiberi non posse: a primis populi radicibus et exordiis curationem auspicanda, iuventutem litteris et moribus bonis imbuendam: hinc futurum, ut et populi pastores animarum successu temporis meliores cum admiratione conspecturi essent. Ad hunc finem Patres Societatis Iesu, idoneos in paucis viros, utique iam per Galliam, Belgium, Germaniam notos, illos profecto accersendos. Digressi ad comitia ordines in caeteris hanc quoque rem summi momenti serio pertractarunt: cumque facile appareret necessitas maxima advocandi patres Societatis, qui iuuentutem tum in scholis tum in seminario aliquo educarent, simul tamen occurrebat difficultas dotandi ac stabiliendi et collegii et seminariorum quod suadebatur. Multis in hanc rem agitatis sententiis, tandem placuit prioratus, quorum non pauci sunt in ditione Luxemburgica, qui vel a saecularibus vel externis vel parum religiose viventibus iisque solis aut singulis possidebantur, ad haec redditus ecclesiae cuiusdam collegiatae olim in Monte S. Ioannis existentis<sup>1)</sup> ad hos usus applicandos; Pontificis Maximi auctori-

---

<sup>1)</sup> L'histoire de cette église collégiale, commanderie des chevaliers de S. Jean de l'ordre Teutonique, n'est que fort imperfectement connue. Suivant M. Ch. Kohl, *Monographie de la seigneurie de Dudelange et Mont S. Jean*, p. 213 et ss., la commanderie aurait été fondée en 1464 par Jean de Boulay, seigneur de Soleuvre, de Dudelange et de Berbourg et sa femme Marguerite d'Autel. Il est probable néanmoins que cette église existait déjà au commencement du XV. siècle. Les archives du couvent ont disparu. Il sera possible peut-être de les retrouver dans celles de la famille de Sayn-

tate id fieri posse; regem id a Sua Sanctitate impetraturum, si velit, et ut velit, tum insita pietate, tum ordinum suppliciis facile inducendum. Igitur communi omnium consensu decretum ut hoc a Philippo secundo rege catholico ipsorum nomine peteretur.

Dum haec ordinum postulatio in Hispaniam ad regem defertur et Suae Maiestatis resolutio accipitur, tempus et anni uti fit elabuntur. Atque ut agnoscas numinis providentiam huic negotio promovendo intendere, Houstius interea, qui ab aula remotior in concilio Luxemburgico detinebatur, singulari hanc dubie Dei dispositione ad intimum regiae Maiestatis concilium, quod privatum vocant, assumitur. Ita propinquior principi Parmensi, qui defuncto Ioanne Austriaco Belgii totius gubernacula tenebat et sponte ad fidem et pietatem Catholicam per Societatis homines promovendam ferebatur, felicius quod animo conceperat, perfecit. Comperito igitur quod Philippus II rex oratori suo Romae degenti in mandatis dedisset ut apud Gregorium XIII P. M. incorporationem prioratum ditionis Luxemburgensis collegio Societatis ibidem fundando sollicitaret, cum Parmensi et cum concilio regio egit, ut ad Bliulium<sup>1)</sup> Belgii in curia Romana agentem exactior instructio mitteretur, ut is una cum oratore Hispano comite Olivario<sup>2)</sup> totum negotium distincte proponeret et sollicitaret. Instructio illa, Parmensis iussu et decreto, multis cum concilio Luxemburgensi deliberationibus per litteras habitis efformata est atque, uti cognitum est ex

---

Witgenstein. Plusieurs indices permettent d'affirmer que dans le courant du XVI. siècle, tous les chanoines embrassèrent le protestantisme. Les biens et revenus de la commanderie furent confisqués par ordre du duc d'Albe, de sorte que le nouveau collège des Jésuites n'aurait trouvé aucune difficulté à se les faire donner. (*N. van Werveke. Das Differdinger Schlossarchiv, Luxembourg, 1895, p. 28 - 30*).

<sup>1)</sup> Du Blioul était à cette époque agent de Belgique en Cour de Rome. Il existe de lui, aux archives du Gouvernement (Jésuites No 4), deux lettres datées l'une et l'autre de Rome, le 26 mars 1584. La première est relative aux négociations dont parle ici le Commentarius du père de Florbecq; l'autre „à l'affaire de l'incorporation de l'abbaye de Priim, accordée par sa Sainteté à l'électeur de Trèves pour l'augmentation du dote de son archiévesché.“

<sup>2)</sup> Olivarez (Henri de Guzman, comte d'), homme d'Etat espagnol, né en 1530, mort en 1599. Ambassadeur en France et à Rome, il déploya, dans ce dernier poste surtout, une grande ardeur à poursuivre les protestants.

autographo quod Ioannes Vendevillius<sup>1)</sup> ad Mansfeldium Bruxellis misit, his verbis constabat :

Exponatur Suae Sanctitati nomine Regiae Maiestatis quod, cum ducatus Luxemburgensis cum comitatū de Chiny ei adjuncto, late patens et in sex aut septem dioceses circumvicinas distributus Trevirensim, Leodiensem, Virdunensem et alias, Dei beneficio adhuc minimum infectus haeresi, laboret inopia bonorum pastorum et concionatorum, qui populum Dei verbo et vitae exemplo pascant, nullamque habeat claram scholam latinam: et quandoquidem Patres Societatis Iesu, in plerisque regnis et rebus publicis orbis Christiani tam utilem operam navent ecclesiae Dei, tum iuventute instituenda in pietate christiana et religione catholica ac literis, tum populo suis concionibus et administratione sacramenti poenitentiae et eucharistiae aliisque christianis officiis vitaeque exemplo, vehementer desiderat Sua Maiestas in illo suo ducatu Luxemburgensi erigi praestans collegium patrum Societatis et insigne seminarium pastorum et concionatorum aliorumque clericorum et literatorum, qui, postquam ad iustum aetatem pervenerint, ecclesiae reipublicae in praedicto ducatu bonam operam navare possent, illudque seminarium ab illo collegio PP. Societatis institui ac dirigi, ad illud missis ex tota ea provincia bonis ingeniis et

---

<sup>1)</sup> Jean Vendeville, dont le P. Alexis Possoz S. J. vient de publier la biographie, naquit à Lille le 24 juin 1527. Il obtint à Louvain les honneurs du doctorat civil et canonique, s'y maria et devint professeur ordinaire de droit civil à l'Université de cette ville. Ayant perdu sa femme, il prit les ordres sacrés en 1578. Déplorant que les religieux n'eussent plus l'esprit apostolique des anciens temps, il composa un traité pour faire renaître dans le clergé un zèle ardent à combattre l'erreur. Il correspondit aussi avec le Saint-Siège et insista sur la nécessité de réunir les princes chrétiens pour s'opposer aux Turcs. Deux mémoires écrits de sa main attestent qu'il intervint d'une façon toute particulière dans l'établissement du collège de la Propagande à Rome et que c'est à lui peut-être qu'on doit la première idée de cette admirable institution. Il s'intéressait vivement à l'établissement des collèges de la Compagnie de Jésus dans les Pays-Bas. L. Torrentius, vicaire général de l'évêché de Liège, lui écrivit de Liège le 2 avril 1586 : «Interea causam collegii patrum hic nostrorum tibi commendatam esse cupio, ut tandem decidatur.» Vendeville fut nommé évêque de Tournay par patentes du 24 juillet 1587. Il y mourut le 15 octobre 1592. (*Je dois ces renseignements à l'obligeance de M. Jules Vannerus, archiviste de l'Etat à Anvers.*) Gazet, dans son Histoire ecclésiastique des Pays-Bas, p. 142, donne une courte biographie de l'évêque Vendeville de Tournay. Il l'appelle Jean de Vendville et le fait naître à Singhem en Mélantois. C'est une erreur, d'après ce que l'on a vu plus haut.

aliis qui literis destinabuntur. Visum est autem illa utilissime erigi posse in oppido Luxemburgensi, quod totius provinciae praecipuum et velut metropolis est. Porro ad inveniendam pecuniam necessariam ad comparationem et aedificationem dictorum collegii et seminarii, re diligenter expensa et examinata, non esse visam aliam commodiorem rationem, quam si ex contributione praelatorum omnium dicti ducatus et comitatus aliorumque ecclesiasticorum qui ex decreto concilii Tridentini tenentur conferre ad erectionem seminarii diocesani, conficiatur summa 12000 ducatorum auri de camera, servata inter eos ea proportione quam aequam iudicaverint commissarii a Vesta Sanetitate deputandi, et ad alimenta praedicti collegii PP. Societatis Iesu ac pauperum qui in seminario aluntur, incorporentur omnes prioratus non conventuales dicti ducatus et comitatus, qui iam obtinentur a privatis iisque fere clericis secularibus canoniciis et aliis, et nullum vel pene nullum fructum afferunt ecclesiae, eorumque fructus et proventus omnes in illos piissimos et hoc tempore reipublicae christianaे utilissimos usus convertantur, ut sunt prioratus d'Eauvalle, Useldinghe, Vaux-les-Moines, Chini et alii;<sup>1)</sup> item reditus et proventus

<sup>1)</sup> Aywaille. Le manuscrit du P. de Florbecq donne en marge les indications suivantes: „Prioratus de Eawaille O. S. B. Leodiensis dioecesis, a Leodio 4, a Luxemburgo vero 20 ad minus leucis germanicis distans. Cuius fundatio 6 postulat religiosos dicti ordinis, quorum unus prior cum reliquis conventum constituant, ad horasque canonicas nocturnas pariter ac diurnas ac missas ac alia divina officia quotidie legere et cantare, nec non multa alia onera similia subiecti teneantur. EIus proventus satis pinguis existunt, annuatim siquidem 2000 florenorum brabanticorum (600 circiter scutorum aureorum) suminam constituentem valorem reddere possunt. Illius autem collator ordinarius est R<sup>mns</sup> abbas Sti Huberti in Ardennia ratione sui vicariatus Cluniacensis, a quo ille prioratus dependet. Haec enim quidem per religiosos optime administratus fuit. Nunc vero a nonnullis annis per quemdam nobilem canonicum ecclesiae Leodiensis regitur. EIus aedificia ob assidas bellorum iniurias (cum in ipsis pago propter situationis et loci commoditatem saepe exercitus Regis catholici lustratio facta fuerit), partim igne flagrarent, partim vetustate maloque genio prorsus sunt collapsa.

Prioratus de Useldinges O. S. B. Treverensis diocesis propter Bastoniam dicti ducatus oppidum situs distat ab oppido Luxemburgo 5 leucis germanicis. Hunc quidem hactenus rexerunt et obtinuerunt religiosi Sti Huberti monasterii. Abbas etiam eius collator existit. Illum tamen a duobus prope annis possidet (et forsitan sine aliquo titulo) filius Presidentis Luxemburgensis, natus circiter 15 annorum. Omnes saltem plurimi ibi iam sunt haeretici et praecipue domini et patroni loci illius de Useldinges, in quo est prioratus huiusmodi, qui priores personaliter residentes molestant. Unius tantum monachi, qui prior dicitur, praeäsentiam requirit, qui ducenta plus minus scuta aurea (dum tempus est a bellis liberum) annuatim praestare

omnes ecclesiae collegiae in Monte S. Ioannis iam inde a multis annis desertae et nullum omnino canonicum habentis, ita tamen ut onera celebrationis missarum et alia incumbentia<sup>1)</sup> dictis prioratibus debite expleantur. Quae cum ita sint, supplicat Sanctitati Suae, ut dignetur decernere ut omnes praelati ecclesiastici praedicti ducatus et comitatus qui ex decretis concilii Tridentini tenentur conferre ad erectionem seminarii dioecesani contribuant, quisque pro rata, secundum iudicium commissariorum deputandorum a Sanctitate Sua ad summam illam duodecim millium ducatorum auri de camera ad emptionem fundi et aedificationem collegii PP. Societatis Iesu et seminarii praedictorum, et incorporare omnes prioratus non conventuales qui sunt in praedictis ducatu et comitatu eorumque bona omnia et praedictae ecclesiae collegiae S. Ioannis iam extinctae dicto collegio PP. Societatis et seminario erigendo, ita ut primi prioratus vacaturi cadant collegio PP. usque ad summam 3000 florenorum annuorum, reliqua autem omnia dicto seminario totius provinciae, idque quam primum vacaverint vel si nunc videntur. Et ut possint per brevi inchoari dictum collegium et seminarium et suppetant redditus ad ea necessarii, etiam de-

potest. Prior modernus supradictus est novitus monasterii Aureae Vallis ordinis Cisterciensis. (*La première ligne renferme une erreur; il serait plus juste d'écrire Arlunum au lieu de Bastoniam.*)

Prioratus autem Vallis Monachorum nuncupatus O. Cisterciensis, dioecesis Trevirensis, a Luxemburgo 8 leucis germanicis est remotus, quem inhabitat quidam prior monasterii Aureae Vallis (a quo prioratus non longe distat), eiusdem ordinis professus religiosus. Dependet vero a monasterio Clarevallensi, cuius abbas illum conferre consuevit. Tenuissimi illius redditus sunt ita ut vix ad unius prioris sustentationem sufficiant.

Prioratus de Chini praedicti ordinis, Virdunensis dioecesis,\*) ut opinor, a Luxemburgo ad minus 12 leucis germanicis distans, situs in arce quadam (olim quidem munifissima atque funditus versa) ipsius pagi de Chini, a quo totus comitatus denominationem sumit: est enim illius caput. Iam vero in hoc priorato propter dictas arcis incommoditates frequentissima praesidia semper collocari solent, ita ut pro tempore existentes priores in eo se continere vix possint. Hunc possidet quidam prior monasterii Sti Vincentii O. S. B., Metensis religiosus, dicti ordinis professus, qui etiam non volens militum huiusmodi furorem et impietatem diutius sustinere, illum deserere et se in monasterium recipere coactus fuit. Prior autem pro tempore existens parochialia officia exercere tenetur, nisi alium suo loco constitutus, cui istud onus imponat: nulla siquidem alia nisi prioratus ecclesia et nullus alius parochus ibidem nisi prior habetur, cui 300 scutorum arioreorum summam sereno tempore facile prioratus ipse reddit. Collatio vero ad abbatem praedicti monasterii Sti Vincentii spectat.

<sup>1)</sup> Le manuscrit porte *eis* incubaentia.

\*) Chiny appartenait au diocèse de Trèves, archidiocèse de S. Agathe de Longuyon, doyenné d'Ivoix.

cernere ut illi iidem praelati et alii qui ex Concilio Tridentino tenentur contribuere in erectionem seminarii diocesani contribuant quotannis 2000 ducatorum de camera, donec per vacationem praedictorum prioratum non conventionalium et bona praedictae ecclesiae collegiae summa annua colligatur. Et quia huius rei executio diocesanis propter eius diversitatem committi non potest, dignetur Sanctitas sua deputare commissarios ad executionem omnium praedictorum dominum Guilemum Lindanum<sup>1)</sup>, episcopum Ruremundanum, et dominum Ioannem Stryen, episcopum Middelburgensem<sup>2)</sup>, eorumve alterum cui melius vacabit, ita tamen ut sibi adiungant unum aliquem virum ecclesiasticum praedicti ducatus, qui habeat magnam notitiam praelatorum et rerum dicti ducatus, data eis potestate necessaria ad eam rem ad effectum bene perducendum."

Hactenus verba ipsa instructionis.

Quam dum sequitur et libello Gregorio XIII oblatu solicitat Bliilius, anni aliquot labuntur. Languet interim non modo Houstius, sed et Mansfeldius et concilium et magistratus Luxemburgensis desiderio patrum Societatis et hi tum per se, tum per Binsfeldium<sup>3)</sup>, suffraganeum Trevirensim, illust<sup>mo</sup> archiepis-

<sup>1)</sup> Guillaume Damas van Linden, van der Linden, Lindanus ou de Lynde, fut le premier évêque de Ruremonde. Constraint d'abandonner la ville à la suite des troubles excités par les protestants, il se retira à Rome, où il fut „honorablement receu des papes Grégoire treisisme et Sixte cinquième, et honnoré des hommes doctes, entre lesquels Caesar Baronius fist tant d'estime de son jugement qu'il submit à sa censure ses écrits et spécialement ses annotations sur le martyrologue romain“. (*Gazet, Histoire ecclésiastique des Pays-Bas*, p. 426). Van der Linden fut appelé à l'évêché de Gand en 1570. C'est dans cette ville qu'il mourut le 2 novembre 1588.

<sup>2)</sup> Jean de Stryen, second évêque de Middelbourg. Voici ce que dit de ce personnage *Guillaume Gaze*, dans son *Histoire ecclésiastique des Pays-Bas, Valenciennes, 1614, p. 491*: „Jean de Stryen, licentier en théologie, fut confirmé à Rome l'an 1576, et consacré en l'église des Cordeliers à Namur par Messire François Walloncappelle, évêque du dict lieu, le quinzième d'aoust de l'an 1581, laquelle consécration fut ainsi différée et prolongée par ce que ja l'Eglise et la ville estoit occupée par les hérétiques. Et comme ces troubles ont toujours depuis continué, cest évêque n'a peu résider, ains fut contraint d'entreprendre la présidence du collège et séminaire des Pasteurs, dressé par le feu Roy catholique à Louvain, lequel il a administré en son exil par plusieurs années fort louablement jusques à sa mort qui advint l'an 1594.“

<sup>3)</sup> Binsfeld Pierre, canoniste très distingué, né à Binsfeld vers 1540, mort à Trèves le 24 novembre 1598. Après avoir fait ses premières études dans sa patrie, il fut admis au collège germanique sur la recommandation de Jean de Bridel, abbé de Himmerode. Il s'appliqua surtout à

copo Trevirensi Ioanni<sup>1)</sup>) civitatis et patriae suae necessitatem urgentem exponunt rogantque ut, dum fundatio Collegii (quae longioris futura videretur molimini) obtinetur, duo vel tres patres Treviris submittantur qui rudem populum concionando, catechismis et sacramentorum distributione ad ineliora inducant; se de domo illis tantisper prospecturos, pecuniam ad manum esse qua sustentari possint; litteras hac super re ad Parmensem principem Belgii sumnum praefectum dare dignaretur. Non fuit difficile Ioanni optimo principi hoc persuadere. Illoco ad Parmensem, id temporis in expugnatione civitatis Tornacensis distentum, hominem expressum cum litteris destinat, concilii, magistratus et civitatis Luxemburgensis petitionem supradictam exponit, instanter commendat et rogit ut pro Luxemburgensium desiderio favere et cooperari velit; se quidem ad hoc ab ipso petendum pastoralis et ordinarii officio atque etiam conscientiae religione impelli; maximum enimvero ea in re momentuni esse ut civitas patriae caput quam optimos habeat doctores, concionatores, confessarios: a capite illo integro et salvo in omnia membra totius ditionis benignum exempli et pietatis influxum iri derivatum; simplicem illum et fidum adeo regi catholico populum hac una ratione in avita erga Deum fide conservari posse; ipsum vero ducem, dum hoc pius opus promoveret, insignem apud regem catholicum gratiam, apud patriam totam laudem, apud Deum meritum obtenturum; se accepto eius responso ultro cum provinciali Societatis Iesu praeposito acturum, ut etiam ante proximas sacri adventus ferias Patres aliquot Luxemburgum mittantur.

Parmensis adhaec, collaudato vehementer Luxemburgensium in fide avita et pietate conservanda studio, non modo patrum Societatis adventum optavit et probavit, sed suam quavis occasione huic negotio promovendo operam addixit. Haec

l'étude du droit et de la théologie. L'archevêque Jean de Eltz le chargea de combattre dans son diocèse les doctrines hérétiques d'Olévianus et de rétablir la discipline parmi les moines de l'abbaye de Prüm. Il en fit son suffragant en 1580. Sa profonde érudition, sa grande piété et le zèle qu'il déploya dans l'exercice de ses fonctions lui acquirent une juste célébrité. Il mourut le 24 novembre 1598. *Browerus et Masenius, Metropolis ecclesiae Trevericae, p. I, 79, 210. Neumann, Les Auteurs luxembourgeois, Programme de l'athénée 1855—56, p. 19. Allgemeine deutsche Biographie, II, 651.*

<sup>1)</sup> Jean de Schoenenburg, archevêque de Trèves depuis le 31 juillet 1581. *Honthein, Historia Treverensis, III, 146.*

aliaque anno Domini 1581 mense octobri acta et hinc inde descripta sunt, neque tamen archiepiscopus Trevirensis effecit ut patres pro adventus instantis feriis Luxemburgum venirent.

Erat id temporis Treviris in collegio Societatis Iesu Petrus Peraxylus,<sup>1)</sup> pius ac facundus ecclesiastes; ad illum mense februario anni sequentis 1582 Houstius, tum suo, tum Mansfeldii et concilii Luxemburgensis nomine dat literas rogatque ut Luxemburgi per proximas quadragesimae ferias conciones habere ad populum velit. Postulationem illam P. Ioannes Gibbonus,<sup>2)</sup> collegii Trevirensis rector, ad praepositi provincialis Francisci Costeri,<sup>3)</sup> qui tum Coloniae degebat, arbitrium remisit, qui negavit se posse opera Peraxyli eo tempore carere ob occupationum eiusmodi multitudinem, operariorum vero paucitatem. Dispicuit illa excusatio Houstio aliisque, qui aegre induci potuerunt, ut crederent Societatem et provinciam totam Rhenanam ita occupationibus distentam, ut vel unico homine carere non posset. Verum, tametsi idem Gibbonus suo sumptu certum hominem Spiram misisset, ut inde aliquem accenseret, qui Peraxyli vices suppleret, nullus tamen eo anno obtineri potuit neque Luxemburgensium desiderio satisficeri.

Non quiescit tamen Parmensis, sed Tornaco VI iulii litteras dat ad Claudiun Aquavivam, Societatis Iesu generalem,<sup>4)</sup> cui

<sup>1)</sup> Le P. Pierre Peraxylus, né dans le diocèse de Bois-Le-Duc vers le milieu du seizième siècle, entra dans la Compagnie de Jésus en 1562. Il fut longtemps professeur de philosophie au collège de Trèves. Il mourut à Spire le 17 août 1584. (Note communiquée par le R. P. J. B. van Meurs S. I. Muller, ancien directeur de l'athénée, suppose que Peraxylus avait hellénisé son nom comme Mélanchthon et les hommes de ce temps-là, et qu'il s'appelait vraisemblablement Overholtz ou Hobscheid. Programme de l'athénée, 1837-38, p. 5.)

<sup>2)</sup> Le P. Jean Gibbon, né en 1544, entra dans la Compagnie de Jésus le 8 octobre 1578. Après avoir enseigné la théologie, il fut nommé recteur du collège de Trèves. Il mourut le 16 août 1589.

<sup>3)</sup> Le P. François Coster, né à Malines, entra dans la Compagnie de Jésus en 1553 et fut envoyé de Rome à Cologne en 1556 pour y enseigner les belles-lettres. Nommé provincial du Rhin et des Pays-Bas en 1578, il se distingua, dans ces nouvelles fonctions, par l'alliance la plus heureuse et la plus rare de la douceur du caractère et de la fermeté de la volonté. Il mourut le 10 décembre 1619. „Il a plu à Dieu, dit le P. d'Oultreman, non garder jusqu'à l'an 1619 le P. François Coster, le dernier de tous ceux qui ont vécu familièrement avec N. P. S. Ignace, duquel il fut jadis fort chéri.“ *Oultreman, P. R. P. de, Tableaux des personnages signalés de la Compagnie de Jésus*, Douay, 1623, p. 359, et *Monumenta Germaniae paedagogica*, II, XVI.

<sup>4)</sup> Aquaviva, Claudio, de la famille des Aquaviva, ducs d'Atri et de

nomine regis catholici exponit, quantopere ducatus Luxemburgensis viris bonis ecclesiasticis indigeat, quantum vero nomen Societatis apud illos populos vigeat, ob eximiam industriam in iuventute instituenda populoque excolendo, ideoque regem suum enixe desiderare, ut praestans collegium Luxemburgensi civitati concedere velit atque prospicere, ut, quandoquidem in ditione illa linguae tam germanicae quam gallicae est usus, ad-sint semper Patres utriusque linguae periti. Quia vero erectio et dotatio dicti collegii tam cito perficienda non videatur, petere se ut sex vel septem de Societate Luxemburgum mittat, quibus de omnibus necessariis copiose sint tam gubernator quam qui de concilio prospecturi, qui una cum tota civitate collegium ardenter omnes exoptant. Similia etiam scribit Costero, cui insuper commendat ut, si generalis eius sententiam tanquam vicini provincialis exoptat, tam bono et necessario operi velit etiam atque etiam favere, et quamprimum ad modum missionis aliquos Patres linguae germanicae peritos Luxemburgum destinare.

Interim de loco et habitatione assignanda tam in concilio regio secreto quam Luxemburgi multipliciter fuit deliberatum. Nonnullis placebat domum quamdam commeatibus et instrumentis bellicis conservandis assignatam ad hos usus converti;<sup>1)</sup> aliis monasterium S. Francisci unde fratres Franciscani conventionales recenter emissi erant auctoritate regia, Societatis PP. concedi; alii ad declinandam forte invidiam abbatem et religiosos O. S. Benedicti in valle degentes sursum in PP. Franciscanorum domum evocari et in valle<sup>2)</sup> eorum loco constitui malebant; verum, cum id populo admodum incommodum videretur, alias suggestit, ut religiosae potius ad S. Spiritum degentes Benedictinis modo supradicto substituerentur, quas nihil interest superiori an inferiori in civitate degere; ipsarum

---

Teramo, dans le royaume de Naples, né en 1543, mort en 1615, cinquième général des Jésuites et l'un des plus grands. Ce fut lui qui fit dresser la célèbre ordonnance connue sous le nom Ratio studiorum, qui est restée jusqu'à nos jours, avec certains amendements adoptés en 1832, le plan des études et la règle de l'éducation chez les Jésuites.

<sup>1)</sup> Mr le professeur van Werveke croit que ce magasin ou arsenal se trouvait non loin de la porte des Juifs ou d'Arlon.

<sup>2)</sup> Dans un des faubourgs de la ville, nommé le Grund.

vero domus Societati cederet. Quin illud quoque Luxemburgi non leviter deliberatum fuit, undenum patres arcessendi vide-rentur, e Belgione an e Germania? Et quidem, quod Luxem-burgi linguae germanicae vulgo et publice sit usus, placebat potius e Germania quam Belgio eos advocari. Quibus omnibus cognitis Parmensis, et Mansfeldii et concilii Luxemburgensis consultationibus rationibusque perpensis, litteras ad illos dat quibus docet, quid in causa collegii erigendi concluserit et egerit; quid Romam ad generalem, quid ad Costerum Rheni provincialem scripsit; simul indicat et mandat apud se con-clusum ut mature domum aliquam conducto accipient, in qua degere Patres tantisper possint, dum locus idoneus cum habi-tatione acquiratur; redditus vero prioratus Useldingani iis alendis designatur, quos sperabat libenter ad tam boni negotii promo-tionem praesidem van der Aa<sup>1)</sup> cessum; idque etiam in gratiam regis catholici, praesertim cum filius eius, prioratus illius possessor, minore aetate esse diceretur quam ut eo frui deberet. Ad haec agerent cum iis qui prioratus Aqualiensem, Chiniensem, Longlieranum<sup>2)</sup> et Vallis Monachorum possidebant, ut accepta aliqua pensione beneficiis suis in gratiam tam sancti et tam necessarii operis cederent, saltem eousque dum regi catholico fas sit illis de alio etiam meliore beneficio prospicere. Ad illud vero, quod de personis potius e Germania quam e Belgio advocandis addebatur, respondebat Parmensis, re ma-ture considerata, se statuisse ut PP. collegii Luxemburgensis non e Germania, sed e Belgio omnino assumentur, tum ut omnia collegia Belgica uni provinciali subsint, tum ne regis

<sup>1)</sup> Pierre van der Aa, docteur en droit, conseiller ordinaire du conseil de Brabant, nommé vice-président du Conseil de Luxembourg par patentes datées de Bruxelles le 28 juillet 1569, aux gages de 500 livres par an, prête serment le 19 août entre les mains de Vigilius van Zutchem, prévôt de l'église St. Bavon à Gand, président du Conseil privé et chancelier. Par autres patentes du 28 juillet 1569, il fut nommé provisoirement garde des chartres aux gages annuels de 40 florins; le 28 juillet 1571 par patentes datées de Madrid, il fut nommé président du Conseil de Luxembourg; par patentes de Bruxelles, 31 août 1571, ses gages furent portés à 800 livres par an. Il mourut le 31 août 1591. (Je dois ces renseignements à l'obligeance de Mr le professeur Dr Nic. van Werveke). Voy. aussi Bertels, *Historia Luxemburgensis*, 197, et *Allgemeine Deutsche Biographie I*.

<sup>2)</sup> Prioratus, nomine Longlierum, in comitatu Chiniacensi, apud Novocastrum (Neufchâteau) situs, conditus a Godofrido, duce Mosellano, filio Gothilonis, sub anno Domini 1055. (*En marge du manuscrit.*)

catholici subditi vicinis ditionibus subiiciantur, et ita etiam limites a Societate praescriptos requirere. Neque vero unius linguae germanicae considerationem tanti debere esse, cum uti linguae germanicae, ita etiam vallonicae usus per magnam patriae Luxemburgensis partem vigeat, ita ut haec aequa atque illa exigatur, praesertim cum non ad unius duntaxat civitatis aut partis, sed totius patriae bonum collegium sit erigendum.

His Parmensis litteris Luxemburgense concilium prolixè respondit omniaque liberaliter ad Patrum sustentationem et receptionem obtulit; verum cum nihilominus domus nulla concilii iussu conducta esset, anno sequente 1583 concilium privatum, ea re cognita, cum Luxemburgensibus graviter expos-tulavit mandavitque ut sine dilatione et ulteriore excusatione domus pro Patribus venturis conduceretur et eorum usibus aptaretur, addens sperare se futurum ut successu temporis ipsis de habitatione condigna prospiceretur. Luxemburgenses tum magistratui urbico mandarunt, ut domum aptam conquererent, et praedicto usui destinarent. Hi domum sitam ad angustam et turbulentam plateam vulgo Wassergaas dictam conduxerunt. Pro sustentatione vero Patrum reditus prioratus S. Mariae Useldingae eo quo sequitur modo procurati sunt.

Possidebat id temporis dictum prioratum Ioannes van der Aa, religiosus ordinis Cisterciensis ex celeberrimo Aureae Vallis monasterio, seu verius illius nomine Petrus van der Aa, concilii Luxemburgensis praeses, qui fructus percipiebat, nudum prioris nomen filio relinquens. Et quidem iam anno superiore praeses Parmensi et concilio secreto addixerat, se, ubi patres Luxemburgum venirent, prioratu illo sponte cessurum. Et quamvis aliunde etiam ad illam cessionem obligaretur, quod Ioannes filius legitime illum non possideret, sed virtute tantum cuiusdam nescio qualis resignationis a fratre seniore factae, tamen, cum hoc anno Patres venturi essent, coepit tergiversari, necessitates suas et bonorum ab hoste detentionem allegare et non nisi concessa prius a rege pensione beneficium relinquere velle. Quin etiam Mansfeldium et concilium in suam attraxit sententiam qui Parmensi et concilio regio privato prolixe in eius favorem scripserunt; iis nequicquam propositis et per litteras saepius explicatis, Parmensis et concilium privatum

serio mandant tum Mansfeldio tum concilio Luxemburgensi tum ipsi praesidi singillatim, ut sine mora cessio istius beneficij, prout promissum pridem fuerat, fieret et fructus etiam a biennio percepti (utpote contra canones) restituerentur, se dein in gratiam praesidis facturos quod aequum foret; non decere utique ea, quae superiore anno promiserat, iam retractari et hoc modo Patribus venturis, quos tam ardenter alias tam ipse Mansfeldius quam ipsum concilium postulassent, remoras cum magno rei publicae detrimento et contra regis catholici iussa obiici. Quibus mandatis iterato acceptis praeses induci se est passus, ut beneficium illud in manus Pontificis per filium resignaretur, quod ille, obtento abbatis sui Lamberti de Valle consensu, eodem anno 1583 6 novembris coram Ioanne Bertelio<sup>1)</sup> abbatte Monasterensi et Ioanne Bertio<sup>2)</sup>, consiliario regio, ut testibus ad hoc specialiter vocatis ac tertio notario perfecit. Cum igitur prioratus praedictus Useldinganus hoc modo per factam resignationem vacaret, illius redditus auctoritate regia Luxemburgum venturis Patribus Societatis alendis designati sunt. Simul datum a Parmensi et concilio regio mandatum Petro Wiltzio<sup>3)</sup>, pastori Arlunensi, et Materno Freylingero, praefecto in Girsch, ut eiusdem prioratus praedia et proventus administrarent, reciperent atque in usum Patrum Societatis expenderent.

Quibus omnibus ita dispositis, cum Oliverius Manareus<sup>4)</sup>,

<sup>1)</sup> Jean Bertels, né à Louvain en 1544, fut nommé abbé de Munster à Luxembourg en 1574. Il fut solennellement consacré le 6 août 1576 par Georges de Virnebourg, abbe de St. Mathias, suffragant de l'archevêché de Trèves. Il prit en 1594 la direction de l'abbaye d'Echternach, où il mourut le 19 juin 1607.

<sup>2)</sup> Jean de Berty, docteur ès droits, nommé conseiller ordinaire au conseil de Luxembourg par patentes datées de Bruxelles le 6 juillet 1574. Il prêta serment le 14 novembre entre les mains de Pierre van der Aa, président. Le 6 mai 1597 il fut nommé conseiller au conseil de Brabant. (*Note communiquée par M. van Werkeke*).

<sup>3)</sup> Ce personnage ne nous est connu que par un passage de Bertels (*Historia Luxemburgensis*, 255), qui rapporte qu'en 1604 le doyen d'Arlon fut enlevé par une troupe hollandaise, commandée par un comte d'Holbach, Neyen (*Biographie luxembourgeoise*, II, 266) croit qu'il fut frère de Melchior Wiltz, avocat au conseil provincial de Luxembourg, qui mérite d'être mentionné à cette place, parce qu'il fit don aux Jésuites du fonds de terre sur lequel ils construisirent la chapelle de Notre-Dame, Consolatrice des Affligés. Donavit fundum, in quo sacellum miraculosas beatae Mariae Virginis, Consolatrix Afflictorum, ad Luxemburgum situm. *Manuscrit des Viri illustres, 1636*.

<sup>4)</sup> Le Père Olivier Manare, né en 1532 à Quincy, village du comté d'Artois, fit ses études à Louvain et à Paris. Il devint visitateur des pro-

Belgicae et Rhenanae provinciae visitator, Treviris in Belgium transivisset atque tam ex litteris variorum magnatum quam ex relatione oretenus ex Francisco Costero provinciali facta aliisque patribus Trevirensibus cognovisset, quantopere expediret collegio Luxemburgensi initium dare, patres aliquot illuc destinari posse iudicavit et postmodum Costeri iussu, postquam iteratae advenissent Parmensis et Houstii litterae, duo patres Trevirenses missi sunt Luxemburgum: Petrus Peraxylus e Germania oriundus et Jacobus Ditzius,<sup>1)</sup> etiam tum tyro, Peraxylus superior et concionator futurus. Ingressi sunt die Iovis ante dominicam primam adventus magnaue Mansfeldii, concilii, magistratus et omnium omnino aggratulatione et gaudio excepti, primis quidem noctibus ad Gilletae Bosch piissimae viduae domum diverterunt. Tum deinde in iis quas diximus conductis aedibus domiciliu fixerunt: simul concionibus, catechismis, SS. sacramentorum eucharistiae et poenitentiae administratione populum insolito modo coeperunt afficere et concitare. Conciones ad populum Peraxylus habebat singulis diebus dominicis et festis in S. Nicolai parochia sub summo sacro, insuper sacro illo adventus tempore singulis Lunae, Mercurii et Veneris diebus in eodem S. Nicola<sup>2)</sup> templo a 6. matutina ad 7., audientibus semper illum gubernatore, concilio, primis quibusque civitatis atque insigni populi frequentia. Et ut illis occasio sacrificii missae audiendi daretur, Ditzius ante, Peraxylus post concionem sacris operabatur. Tantus erat illic hominum concursus ut templum eos non caperet: is vero animorum motus ut praeter pios singultus et large fluentes lacrymas quae passim observabantur, plurimi ad animos noxis expiandos in genua apud patres se prosternerent.

vinces d'Autriche, de la haute Allemagne, des Pays-Bas en 1581. Il passa les dernières années de sa vie au noviciat de Tournay, où il mourut le 28 novembre 1615, âgé de 92 ans, dans les pratiques les plus édifiantes de la pénitence et de l'humilité. „Son zèle et sa prudence, dit de lui le P. d'Oultreman, eurent pour carrière l'Italie, l'Allemagne, la France et nostre Pays-Bas, où partout il s'est acquis le titre de très-prudent, très-vertueux, chéri et estimé du saint fondateur de notre ordre, lequel de son vivant l'appelait saint, comme rapporte le P. Richeôme, aymé et respecté des papes et des roys.“ *Oultreman, P. T. P. de, Tableaux des personnages signalés de la Compagnie de Jésus, Douay, 1623, p. 323, et Monumenta Germaniae paedagogica, II, xiv.*

<sup>1)</sup> Jacques Ditzius, né en 1552 dans le diocèse de Worms, entra dans la Compagnie de Jésus le 21 septembre 1582. Il ne fut que novice.

<sup>2)</sup> L'ancienne église paroissiale S. Nicolas, démolie à la fin du XVIII siècle, se trouvait à proximité de la maison louée pour les Jésuites dans la Wassergasse ou rue de l'Eau.

non sine eximio poenitentium fructu, Patrum solatio, quos mirifice recreabat illa populi Luxemburgensis ad pietatem et virtutem apta nota indoles, quae illis tam exiguis exordiis mox coepit luculenter se prodere. Accedebat praeterea Mansfeldii, concilii, summorum atque infimorum plurimis indicibus et temporibus testata benevolentia, observantia, beneficia. Quibus omnibus cum impigre Patres responderent charitate sua, obsequiis, labore, felix in ea urbe Societas habuit exordium. Profuit etiam non mediocriter ad hunc finem rerum quas homines aestimant contemptus.

Non exiguum praesidi molestiam faciebat tam grave Parmensis mandatum quo iubebatur fructus prioratus perceptos in favorem Patrum Societatis restituere, nam res curta domi, possessiones in Belgio sitae a Geusiis occupatae, proliuſ numerus difficultatem hac in parte creabant. Peraxylus igitur, ne primis illis exordiis ulli gravis foret, neve, uti ipsem Houstio scripsit, ob res minimas cuiusmodi sunt agrorum fructus et opes, animorum fructus everterentur, libenter iure suo cessit atque adeo petiti enixe ab iis quorum intererat ut fructus percepti praesidi cederent, sibi et pauculis aliquot de Societate religiosis sustentandis abunde sequentis anni redditus sufficientes fore dictans. Habitatio ad haec angusta, incommodo loco sita, victus vestitusque ratio tenuis, morum gravitas, continentia, sobrietas aliaque, in clero saepius desiderata, raro autem observata, egregium verbis et concionibus addebat pondus.

Unum Luxemburgensium votis repugnabat, quod ad breve duntaxat tempus Patres, non in perpetuum concessi erant, atque adeo, peractis feriis Natalitiis, praesidum suorum iussu Trevirois redire cogebantur. Obstitit fortiter Mansfeldius et concilium regium, litterisque ad rectorem Trevireensem datis pro retinendis Patribus laborarunt, quibus rector, cum recusare nihil posset, annuit tantisper dum aliud a visitatore et provinciali decerneretur. Ita feliciter copta Patres feliciter prosecuti sunt, quantumvis humani generis hostis, uti in talibus fieri amat, mox variis adversitatum procellis tam sancti operis initia evertere funditus est conatus.

Nam cum anno insequenti 1584 Patres a Mansfeldio

retenti, qui non per transennam, sed perpetuo illi populo concessos dictibat, in coepio pergerent instituto, plurimum auctus est populi fervor, qui tum etiam magis apparuit, cum ad conciones Peraxylus lectionem catechisticam pomeridianam adiecit, quam, cum simplici admodum et ad rudis populi puerorumque captum idoneo sermone haberet, tantus tamen fuit summorum infimorumque concursus, ut Patribus ea res stuporem, hominum vero animis insignem attulerit fructum. Hinc enim plures, qui in haeresi nati et educati fuerant, ad saniorem mentem traducti, alii ad confessiones saepius imperite factas iterandas inducti, libros haereticos alii reiecerunt aut ad Patres ultro detulerunt. P. Ditzius porro in inferiore civitatis parte catechesin perinde ac Peraxylus in superiori feliciter et cum populi fructu peragebat. Resumptae deinde conciones quadragesimales, eodem numero et modo quo per adventus ferias habitae fuerant, pari etiam ac maiori fructu. Quanta enim animorum fuerit commotio, non modo e frequentibus populi lacrymis, quae ipsis etiam Patribus lacrymas saepius excutiebant, sed praecipue e sacramentorum eucharistiae et poenitentiae insolita frequentatione palam apparuit. Omnis aetatis, gradus ac sexus homines ad sacra poenitentiae tribunalia confluebant, ita ut Patres tantum non obruerentur, plerique ad plures horas in templo haererent, donec ad Patrem pateret accessus. Ad haec opus fuit evocare Gerardum Gonterum, sacerdotem gallicae linguae peritum, qui istius nationis hominibus adjumento esset. Quibus omnibus indicis facile deprehenderunt Patres regionem illam animarum ad messem maturasse neque iam aliud superesse, quam ut oraretur dominus messis, ut mitteret operarios in messem suam.

Verum quo ubiores labor Patrum producebat fructus, hoc acrius accensus fuit invidi Satanae furor, et tum Luxemburgi tum alibi hostes tam pii operis incessanter suscitavit. Acrier Peraxylus in concionibus suis in omne genus vitiorum fuerat inventus, palam praefatus, se nullius personam summi aut infimi notatam velle, et cum sub quadragesimac finem de exomologesi accurate facienda disseruisset et potissimum feria VI. Parasceves animo accenso usuras, avaritiam, aedificiorum luxum, concubinatum et id genus carnis vitia damnasset, non nulli e primoribus et in his Mansfeldius se notari arbitrati,

non mediocriter tum Peraxylo tum Societatis instituto fuerunt infensi. Minori igitur benevolentia et favore Patres prosequi, eos de more Mansfeldius ad mensam suam non amplius adhibere, cibos e familia sua non submittere, agitare etiam consilia de Societate quam tanto studio advocarat e civitate expellenda. Primatum exempla, uti fit, multi de vulgo securi minora quam antea favoris et benevolentiae signa Patribus exhibebant; plures nihilominus pro Deo et veritate stabant; illi Patres his talibus non debere concuti asserebant, procellam esse et tempestatem, eamque mox serenitate maiori compensandam, res magnas solere asperis exordiis stabiliri. Maxime vero Houstius litteris suis (nam Luxemburgo tum aberat et Tornaci cum concilio regio degebat) Patres ad ferendas fortis animo adversitates illas hortabatur, tanquam benignus et sollicitus pater solatia et auxilia per se, per Parmensis auctoritatem polliciebatur. Quibus animati Patres, sed potissimum sanctae crucis et humilitatis christianae amore, memores (ut ipse Peraxylus Houstio his verbis ipsis scribebat) in cruce preferenda Christi, apostolorum sanctorumque omnium imitationem solidae virtutis veraeque gloriae fructibus uberrimam consistere, itemque crucem inchoare, promovere, perficere Societatis nostrae collegia, nihil de suscepto instituto reiniserunt.

Mansfeldius vero vix duobus mensibus elapsis Peraxylum ad mensam suam iterum advocavit, cumque ex eo intellexisset Costerum provincialem brevi adventurum, ut de ratione stabilendi collegii dispiceret, eo quod Pontifex Maximus petitam incorporationem prioratum vivae vocis oraculo concessisset, gratum id sibi fore ostendit, pollicitus se litteris et commendatione sua collegii erectionem promoturum. Costerus dein mense iunio adfuit novamque sedem illam Societatis primus visitavit, amicos Societatis constantes in proposito confirmavit, offensos quantum potuit placavit, domesticos animavit, omnibusque confectis discedens mandato manu sua in exigua schedula descripto et subscripto, prout hodieque servatur, reliquit, haec summa: „Peraxylus missionis Luxemburgensis superior rectori Trevirensi subsit; favorem gubernatoris, paesidis procerumque omnium sibi conciliet. De futuro collegio nihil nisi ex praescripto visitatoris et provincialis agat. Functionibus

„duntaxat consuetis Societatis omnibus prosit. Ordini domus intendat, ad orationes aliaque exercitia Societatis itemque ad „salutationem angelicam ter quotidie pulsari curet, recreationem et „deambulationem hebdomadariam nostris deesse non patiatur. „Curet denique ne quisquam in spiritu deficiat ideoque fratres „saepius alloquatur.“

Ita primus adversitatis turbo, quo collegii Luxemburgensis exordia concussa fuerant, nonnihil fractus. Sed mox alias atrocior est excitatus.

Missa fuerat Romam a concilio Belgico instructio quae supra descripta fuit, quam Blaulius regis catholici agens Suae Sanctitati exponeret pro impetratio fundationis collegii Luxemburgensis: illius exemplar auditor quispiam rotae ad abbatem Andaini, alias monasterii S. Huberti in Arduenna hoc anno misit, quo conspecto illico bonus ille praelatus exarsit et litteris acribus omnes abbates et praelatos Trevirenses atque etiam abbatem monasterii Luxemburgensis coepit excitare, viderent atque etiam serio perpenderent, quid Iesuitae per instructionem praedictam, cuius exemplar adjecerat, molirentur: nimurum non aere regio aut Luxemburgensium, sed monasteriorum in eo ducatu existentium et plurimorum prioratum unione aut potius perditione seminarium seu collegium erigere eos velle; dispicerent igitur ac singulari sua et rara prudentia acute discernerent, quid in rem et conservationem bonorum fidei suae creditorum utilius et contra praetacta molimina foret melius. Nihil equidem procrastinandum, maximum omnibus instare periculum; non cum homine aliquo vulgari, sed cum rege catholico potentissimoque principe, qui penes Suam Sanctitatem omnia possit, negotium esse; optimum factu videri, si archiepiscopi Trevirensis patrocinium imploretur: ille suis, id est Trevirensibus, Iesuitis praecipiat, ut Romanis Iesuitis bono atramento perscribant, quae extam iniquo molimine proventura sint incommoda, imo quae injustitiae, quae implacabilia totius populi, monasterii eleemosynis quotidie ac specialiter aliti, murmura, quae utique contra Iesuitas bonis alienis sub praetextu nescio cuius pietatis inhiantes divitesque fieri toto conatu ambientes, in dies magis ac magis sint augenda. Haec ipsa verba. Aliaque plura cum dictus Andainensis abbas ad alios perscripsisset, moti praelatorum

animi, et ad malum quod impendere credebant, toto conatu amoliendum sunt conversi. Informant primum archiepiscopum Trevireensem, qui omni studio Societatis causae antea faverat eumque in suas partes trahunt; tum Mansfeldium in cuius animo haerebant etiamnum praecedentis vulneris acerbitates, de novo exulcerant: fide non optima illi persuadent, Romae famam eius totiusque patriae Jesuitarum delationibus dilaceratam atque adeo accusatum eum quasi in negotio religionis catholicae non recte sentiret. Confirmabant id, producto instructionis Romam missae exemplari, in quo, vocula una corrupta et quibusdam omissis, alia omnia quam revera continebat illi affingebantur; nam cum instructio haec verba contineret: „quod ducatus Luxemburgensis Dei beneficio adhuc *minimum* infectus haeresi“ etc. ipsorum exemplar habebat „quod ducatus Luxemburgensis adhuc *nimum* infectus haeresi.“ Difficile creditu est, casu mutationem illam factam, quod praeter vocis unius mutationem quae fore scribentis incuria irrepere possit, duae aliae voces prorsus omissae sint. Sive tamen dolo, sive casu contigit illa exemplarium corruptio, pupugit ea res vehementer Mansfeldium utique virum catholicum et avitae fidei tenacissimum, tantumque apud eum potuit, ut non modo Societati eiusque causae, sed multo magis Houstio, e cuius officina machinam illam produisse arbitrabatur, deinceps multo tempore fuerit infensus. Non vanae fuerint illae magnorum capitum irae. Claudio Aquaviva generalis Societatis Iesu edocetur de archiepiscopi Trevirensis et praelatorum commotione itemque de Mansfeldii et Luxemburgium primatum offensione; negotium itaque fundationis collegii minus coepit probare, ratus Societati non debere conquiri collegia, possessiones et redditus cum magnatum offensione. Accedebat etiam illud, quod Romae peterentur prioratus et ecclesiastica beneficia sine discrimine seminario et collegio incorporanda, ita ut utriusque fundationis una massa fieret. Hoc enimvero generalis neutiquam probabat, quod non dubie prospiceret quod inde turbae et lites exoriri possent. Itaque cum Blilius bullas incorporationis expediri curaret, vetuit generalis illam quae pro collegio petebatur confici, donec his difficultatibus aliqua ratione prospiceretur. His itaque et similibus collegii erectioni remora non mediocris.

Houstio vero ingens iniectus est metus, ne tot adversis concurrentibus totum illud negotium tam sanctum everteretur. In omnem igitur partem se vertit quod potuit, verbis litterisque rem urgere et instaurare conatur; inter cetera Treviris archiepiscopum convenit; exponit illi quam exultent et applaudent sibi nonnulli praelati, quod ab ipso in curia Romana negotium collegii impediatur, tametsi nullam habeant causam collegii oppugnandi, quod illud absque eorum sumptu e prioratibus duntaxat sit erigendum: contributionem vero non pro collegii erectione, sed pro seminario secundum concilii Tridentini statuta exquiri; neque etiam illud considerationem inerere, quod Luxemburgi nulla sit metropolitana ecclesia; amplitudinem enim patriae Luxemburgensis seminarium depositare. Quibus aliisque auditis archiepiscopus ostendit, se aliter nonnihil fuisse informatum et iam, omnino negotio ita constituto, uti exponebatur, se causam collegii promoturum et officiale suum mox Luxemburgum missurum, ut unioni prioratum intenderet.

Ad haec Houstius Oliverio Manareo visitatori hoc super negotio scribit; opportune importune auxilium eius postulat. Oliverius graviter operam addicit et frequentibus litteris generalem aliasque Romanos sollicitat a quibus haec responsa tandem accipit: Certi prioratus a fundatione seminarii distincte nominentur; nullis iis litibus aut invidiae, nullis militum excursionibus sint expositi; eorum pretium benigne taxetur, ita ut summam 3000 quae praescribebatur excedant magis quam aequent; itemque eiusmodi sint quorum valor successu temporis crescere non modice possit; quod illa 3000 summa revera pro collegii praestantis sustentatione sit exigua. Haec ita Roma fere accepta Oliverius in litteris suis ad Houstium missis quorum habemus autographum serio commendavit. Simul arrepta occasione Leodii etiam ipse cum archiepiscopo Trevirensi prolixe de hoc negotio tractavit, eique reliquias umbrarum quas variorum dicta ingesserant animo ita exemit, ut optimus princeps iterum accumulatissime pollicitus sit et testatus, sibi deinceps collegii istius fundationem unicae curae fore. Neque hoc verbis magis quam opere praestitit. Treviros enim reversus in mandatis dedit suffraganeo suo Petro Binsfeldio, officiali et sigillifero, viris cordatis et ordinis nostri amantissimis, ut cum Houstio confe-

rant de modo expedienda fundationis collegii tantopere desiderati. Quin etiam eodem anno mense decembri sigilliferum suum Luxemburgum mittit, qui possessionem prioratus Useldingani Societati dat auctoritate sua, donec Pontificis Summi accedat. Id peractum 5<sup>a</sup> decembris 1584 et possessionem adiit Petrus Clutsius<sup>1)</sup>, Peraxyli successor, ita tamen ut eiusdem administratio penes Wiltzium maneret.

Annus 1585, ex semente anno superiore ab adversariis iacta, multarum adversitatum fera fuit, quas cum Patres fortiter excipiunt, tum in instituto suo proximis beneficiandi inconcusse pergunt. Solabatur eos identidem tam Houstius praesens quam absens Oliverius per litteras, qui ex collegiis quae super cruce fundantur suavissimum fructum iuxta ac uberrimum proferri dictabat, et in collegiorum perinde ac liberorum partu solere acutos adversitatum dolores sentiri, sed tristitiam illam in gaudium plerumque commutari. Eodem tempore serio de domo pro Patrum habitatione comparanda actum. Et quidem provincialis Franciscanorum conventionalium illam quam sui religiosi deserere coacti fuerant offerebat, modo regia auctoritate in civitatem reduci possent, et primo aspectu non displicebat Houstio conditio. Verum posteaquam compertum provincialem neque posse neque velle id quod promittere videbatur, Oliverius diserte significat Houstio, cogitationem de monasterio illo prorsus deponendam, et de emenda potius domo alia Schauwenburgica dicta, quam tunc maiori ex parte Conradus Seteranus<sup>1)</sup> possidebat, serio cogitandum. Huic igitur operi Houstius strenue animum intendit; nam in iis quae bonum collegii istius tangebant,

<sup>1)</sup> Un peu plus loin, l'auteur du *Commentarius* écrit Clutzius. *Heydinger*, Archidiaconatus tituli S. Agathae descriptio, p. 52, cite parmi les „provisores“ de l'hôpital S. Jean au Grund un prétre du nom d'*Ernest Clutius*. C'est l'orthographe adoptée par l'*Historia Academiae Luxemburgensis*. D'après M. van Werveke, le nom existait encore au XVIII<sup>e</sup> siècle sous la forme allemande de Kleutsch. -- Clutius Pierre, né à Luxembourg au mois de septembre 1554, entra dans la Compagnie de Jésus le 9 avril 1572. Il enseigna la philosophie et mourut à Trèves le 6 août 1587.

<sup>1)</sup> Conrad de Soetern ou Zoetern, seigneur de Preisch, frère de Philippe-Christophe de Zoetern, archevêque de Trèves, avait épousé Marguerite de Mérode d'Houffalize. Voy. *Bremond, Monographie de la seigneurie de Preisch, 13 et 15* et *Généalogie historique de la maison de Gargan*, 393 et 394. La maison dont Conrad de Soetern possédait la plus grande partie se trouvait dans la grand'rue. Voy. *Engelhardt, Geschichte der Stadt und Festung Luxemburg*, p. 430 et *Biermann, Abrégé historique de la ville et forteresse de Luxembourg*, p. 50.

Houstius nullum mediocrem affectum aut operationem in se patiebatur. Itaque Oliverius litteras eius quas de hoc negotio ad concilii secreti proceres subinde scribebat, non sine lacrymis se legere posse fatebatur. Verum emenda domus unum occurrebat et illud quidem potentissimum obstaculum, defectus pecuniae: magno enim domus illa Soeterana seu Schauvenburgica emenda videbatur neque apparebat unde tanta summa conflari posset. Illa tandem Houstio occurrit ratio, ut patriae Luxemburgensis proceres et urbes singulae aliquid in hanc rem conferrent: modicum id futurum singulis onus et tamen magnam inde pecuniam colligi posse. Hoc igitur, ut fieret, obtinuit a Parmensi optimo et nostri ordinis amantissimo principe, adiuvante Hernandio, eius confessario, nostrae Societatis, ut litteras ad varios hac super re mitteret: ad Mansfeldium, ut pro sua erga regem et ecclesiam fide emptionem dictae domus promoveat, proceres Luxemburgenses ad pecuniam dandam inducat: ad plures alios patriae proceres, ut ad conflandum pretium emenda domus praedictae animo liberali pecuniam conferant, subditos vicinosque ad idem praestandum excitent; omnes non modo Deo et catholieae ecclesiae in tam pio opere, sed etiam regi catholico, qui id ardenter desideraret, singulare praestituros obsequium. Tantum apud summios infimosque Parmensis exhortatio et in primis boni communis et religionis amor valuit, ut plerique liberaliter coeperint pecuniam ad domum praedictam emendam conferre. Verum, ubi ea res Oliverio e litteris Clutzii innotuit, incredibile dictu est, quantum displicuerit: occurrabant enim viro prudentissimo, quae postea consecuta sunt, populi murmura, querimoniae et in Societatem criminationes, quae apud vulgum omnesque ordines magnam invidiam parerent, et fructum quem Societas quaerebat impeditarent. Clutzio igitur in mandatis dat, ut si aliud a Parmensi per Theonisvillanum gubernatorem qui illum adiverat non impetrasset, peteret humiliter et amanter a Mansfeldio, Houstio et magistratu, ut bona cum ipsorum venia et cum sociis Treviros liceat redire, quod instituti non sit nostri fundare et erigere collegia cum discordia et offensione eorum per quos pii nostrorum conatus debent promoveri: venisse se coactos principis mandato nulla collegii ambitione Societatem teneri, eam aegre personis suis carere posse; merito itaque se

ob tot sibi creatas molestias inde posse recedere. Sollicitos habuere Patres mandata et rationes illae Oliverii, quin etiam magis afflitit, quod postmodum cognoverint domum Soeteranam, si collectitia illa pecunia emeretur, non Societatis, sed gubernatoris habitationi designari, collegio autem relinquendam eam, quam tum Mansfeldius inhabitabat. Quae omnia Houstio Clutzius per litteras indicat et tantisper abitum differunt. Houstium porro atque ipsum adeo Parmensem male habuit is Societatis sensus, praesertim cum scirent, in aliis Belgii provinciis modum illum pecuniam ad eiusmodi usus conficiendi non improbari. Itaque Parmensis illico mandat Mansfeldio per litteras ut pro executione tam sancti operis, quod constabat tantopere a rege catholico desiderari, serio mentem manumque intendat, emptionem domus per pecuniam sponte a bonis subditis conferendam, non obstante Patrum querimonia, porro urgere non desistat; ita in Belgio passim in Societatis favorem, ipso etiam approbante, fieri; non probari sibi ut domus Soeterana gubernatoris habitationi et vicissim gubernatoris domus Patribus assignetur, quin imo, si emptio praedictae domus diutius differenda videatur, dandam operam, ut eadem ad usum Patrum eorundem conducatur et vicinum aedificium, quod pilae ludo serviebat, scholis aptetur; ut hac ratione Patrum mentem de discessu, qui utique sine populi scandalio non fieret, prorsus deponant. Atque ut ad hoc magis obligentur, prioratum alterum, Vallem Monachorum dictum, ipsis, prout pridem patriae ordines petierant, statim tradendum; negotium porro incorporationis Romae sollicitandae et penitus conficiendae se totum in se suspicere; proinde de sustentatione Patrum ne sit sollicitus. Sed de prioratu Vallis Monachorum peculiaribus etiam litteris eodem tempore praesidi et concilio seria mandata dedit, addens ipsum regem catholicum magno desiderio teneri, ut tam pium opus executioni mandetur, et saepe saepius a se rationem de eius progressu et causis dilationis exigere. Quibus mandatis Mansfeldio et concilio missis, itemque litteris Houstii et ipsis Mansfeldii atque concilii adhortationibus inducti sunt Patres ut discessum ex urbe id temporis omitterent.

Dum haec Luxemburgi et in Belgio aguntur, Romae impetrantur et expediuntur bullae incorporationis prioratum pro fundatione collegii et seminarii calendis maii anni 1585, de quibus agetur annis insequentibus.

Anno 1586 laboratum est in possessione prioratus Vallis Monachorum Societati asserenda. Nam, ut dictum est, anno 1576 10<sup>a</sup> januarii ordines patriae, cum collegium Societatis Luxemburgi collocari peterent, tum ejus fundationi plures prioratus et in his nominatim Vallem praedictam destinarant: itaque, cum postmodum per obitum prioris vacarat et Benedictus de Marchia, e S. Benedicti familia, religiosus monasterii SS. Virginis Luxemburgensis, ejus collationem a cardinale Borbonio obtinuisse peteretque a concilio regio Luxemburgensi facultatem acquirendi litteras dictae collationis sive adeundi possessionem, quod placetum vocant, non potuit id aliter obtinere quam hac lege ut, ubi a Pontifice Maximo incorporatio illius prioratus collegio futuro obtineretur, more vacuam Societati possessionem denuo relinquere. Exponebant enim Benedicto ii qui de concilio erant, quid antehac ordines patriae, quid rex catholicus de hoc prioratu faciendum decrevisset; quid item apud Suam Sanctitatem modo Romae sollicitaretur et quae spes obtinendae illius postulationis foret; quibus mature perpensis, ille sancte data fide promisit concilio se ea conditione quae proponebatur accidente libenter volentem beneficio suo in favorem regis et Societatis cessurum, simul illud consentiente senatu regio sub illa conditione duntaxat et non aliter possidere superiore anno 1585 est iussus. Verum postquam suavitatem fructuum prioralium anno vertente degustavit, animam coepit tenacius illis affigere et ardentи desiderio retinendi beneficij sui accendi. Monitus igitur a senatu Luxemburgico de cessione superiore anno promissa exequenda, quandoquidem sanctae sedi placeret prioratum illum Societatis collegio incorporari, Benedictus immemor an poenitens promissi tergiversari primum, mox auxilia et favores suorum amicorum circumspicere et implorare coepit, quibus prolixe instructus et munitus Bruxellas se confert; ibi apud proceres aulamque regiam acriter pro conservando beneficio laborat, variis rationibus adductis. Verum multis sollicitationibus et intercessionibus adhibitis nihil obtinere potuit aliud quam fructus industriales anni currentis et praeter illos pensionem centum aureorum quae illi decreto regio ab aliquo Belgii abbate annue solveretur: prioratu vero possesso, prout stipulatus fuerat, cedere utique est iussus. Cui supremi

senatus regii voluntati cum Benedictus, admissis conditionibus oblatis, assensus videretur et Patribus prioratus vacuus offeretur, illi possessionem ejus adituros se negarunt, nisi prius a S. Sede iustum possidendi titulum viderent impetratum. Expedite quidem Romae, ut dictum est, erant bullae pontificiae, sed necdum, nescio ob quas causas, in Belgiam delatae. Itaque ne qua mora interjecta graviora forte incommoda adferret, nomine Suae Majestatis senatus supremus seu privatus Belgii a Francisco, episcopo Vercellensi,<sup>1)</sup> Pontificis Maximi legato supplex petiti, ut rationibus supradictis et rerum circumstantiis perpe nensis officium suum impertiri vellet et defectum hunc sua auctoritate supplere, ne gravaretur. Annuit legatus petitioni, simul in mandatis dat Petro Wiltzio, parocho Arlunensi, ut ipse, ne qua forte tam pio et necessario operi collegii ergendi dilatio injiceretur, illico prioratus praedicti possessionem suo ipsius legati nomine capiat, captum retineat et fructus percipiat, donec Sanctitatis Suae voluntas certius cognoscatur. Redit interim Luxemburgum Benedictus et in pristino suo domicilio SS. Virginis monasterio excipitur; simul Patres subinde sarcasmis exercet, singulos eorum obtentis bonis prioratibus esse priores; nihil enim vero illis deesse amplius quam ut singuli fiant abbates. Quas naenias Clutzius tacito et magno animo contemnit, palam asserens se redditus quidem non rejicere pro sustentanda Societate ad reipublicae et ecclesiae bonum, abbatis tamen dignitatem pro nihilo habere. Wiltzius interea impigre se ad exequenda nuntii mandata et prioratum ipsius nomine possidendum fovendumque accingit. Quod ubi Benedictus cognovit, graviter indignari, opponere se, protestari, Wiltzio per litteras anathema minari, mandata illa a legato falsis informationibus extorta vel certe obreptitie obtenta dicere. Pergit nihilominus Wiltzius et

<sup>1)</sup> Bonomi, Jean-François, prélat, diplomate et poète, né à Crémone le 6 décembre 1536, mort à Liège le 25 février 1587. Il fut l'ami de saint Charles Borromée, qui lui confia les négociations les plus importantes et le sacra évêque de Vercell (Vercelli, Italie septentrionale) le 1er février 1573. Chargé d'une mission en Suisse, il parvint à établir un collège des Jésuites à Fribourg. Ce fut sur sa proposition que fut créée la nonciature de Cologne, dont il fut le premier titulaire. Sa juridiction s'étendait non seulement sur l'Allemagne du Nord, mais aussi sur la Belgique et le Luxembourg. C'est en sa qualité de nonce apostolique qu'il eut à s'occuper de la réclamation de Benoit de Marche. Voy. Elsies et Meister, *Nuntiaturberichte aus Deutschland*, I, xiv et ss.

neglectis ejusmodi minis et obtrectationibus possessionem, ne quicquam monacho repugnante, occupat. Benedictus porro Treviros se confert, Bartholomeo Bodegemio<sup>1)</sup> officiali causam suam exponit, bullam pontificiam cuius virtute prioratum possidebat profert: petit ejus auctoritate in sua illa possessione defendi. Bodegemius se nihil decernere posse asserit, nisi citatis prius secundum iuris formam et auditis quorum interesset, illis etiam mensis unius moram ad comparendum permittit. Quam moram cum sibi incommodam videt, Benedictus ad legatum episcopum Vercellensem se confert; ubi graviter contra regium senatum et praesertim Houstium questus, quod artibus et falsis informationibus animum ipsius occupassent, seque contra ius omne et fas renitentem ac repugnantem sede sua pellerent, se utique nunquam prioratus possessionem deseruisse, neque voluntati concilii ejusdem, qua id exigebat, consensisse. Motus querelis et allegationibus Benedicti nuntius confestim ad regia concilia tum Bruxellas tum Luxemburgum litteras mittit, simul Wiltzio mandat, ut a prioratus dicti possessione abstineat, neque contra justitiae humanae et divinae leges priorem contradicentem reluctantemque spoliet, quandoquidem prius illud mandatum suum ea duntaxat ratione motus dedisset, quod illum volentem et consentientem putasset. Ad haec concilium privatum Benedictum omnino consensisse, tametsi forte publicas ejusmodi consensus tabulas non reliquisset, nequaquam putabat dubitandum, idque idcirco, quod ratione promissionis factae et fidei pridem ut dictum est datae non posset non consentire, atque etiam libello supplice eidem concilio oblato declarasset se gratias habere quam demissas, quod in favorem ipsius decretum de pensione annua persolvenda fecisset, illud duntaxat precatus ut omnia cum Pontificis maximi et Bourbonii consensu ac beneplacito abbatis sui monasteriensis qui eum reciperet fierent, et postremo epistolas has super negotio expediendas curasset. Mirati igitur praeses Pammelius et Houstius, ad quos peculariter litterae nuntii destinabantur, hominis illius levitatem et os animumque, rem concilio privato dijudicandam proponunt,

---

<sup>1)</sup> Bodegenius Bartholomaeus, juge ecclésiastique ou official de l'archevêché de Trèves. Il mourut le 31 octobre 1608. (*Hontheim, Historia Trevirensis*, III, 215).

quod fortiter III<sup>mo</sup> respondet ac totius rei gestae serie exposita technas et criminaciones Benedicti facile discutit, simul serio mandat concilio Luxemburgensi, ut a capta prioratus dicti possessione nequaquam se patiatur dimoveri, sed non obstantibus R<sup>mi</sup> Nuntii (quem utique norunt male informatum) mandatis aut litteris pergerent illos fundos detinere; et si Wiltzius forte, auctoritatem apostolicam reveritus, ob ejus mandata reformidaret et administrationi redditum illorum se immiscere, alium ipsius loco designaret qui tanquam sequester omnia reciperet, exponeret et de illis suo tempore rationes redderet atque etiam pensionem annuam 300 florenorum brabanticorum sive 100 aureorum Benedicto ex iisdem redditibus persolveret, dum alias occurseret modus ipsi satisfaciendi. Quae omnia iubebat concilium Benedicto coram a Luxemburgensibus exponi; quod etiam factum, et mense julo ejusdem anni Wiltzio datum a concilio mandatum, expedito ad eam rem diplomate, ut tanquam sequester nomine regiae majestatis prioratum illum omnesque ejus reditus ac census possideret, donec collegio Societatis Jesu Luxemburgi constituendo traderetur, cum onere solvendi interea Benedicto 300 libras annuas praedictas. Houstius insuper peculiares literas ad Vercellensem dat, quibus tum suam a iactatis calumnis innocentiam, tum etiam animum vere heroicum et christianum est testatus, quando tot obtrectationibus, calumniis et criminacionibus irritatus declaravit se loco vindictae Benedicto beneficium pro injuria praestare et pensionem ipsi annuam procurare. Eandem animi sui magnitudinem frequentes illius ad Clutzium aliosque litterae testantur, quibus identidem significabat, se pridem ad calumniarum istas naenias occalluisse, obtrectationibus, injuriis et criminacionibus se ab incepto suo non modo non deterri, sed etiam in illo confirmari magis et accendi, modo Dei Opt. Max. honorem et optimae patriae salutem promovere posset: se caetera illa susdeque habere. Vanus igitur fuit ille hostis tartarei conatus, nam machina illa, qua negotium fundationis collegii differendum et dissipanda hoc pacto ejus initia putabat, ad insignem Houstii et heroicam constantiam dessiliit.

Verum felicius aliud ei stratagema successit, prout deinceps persequor.

Cum patres Luxemburgi in domo conducta male apta et insuper in magna rerum ad vitam necessariarum penuria degerent, duo magnopere pluribus iam annis, uti supra insinuatum est, desiderabantur, fundatio, scilicet collegium quale optabatur et domus. Nam Oliverius Manareus visitator, vir rarae in paucis prudentiae, aegre ferebat, quod, dum negotium fundationis promissae trahebatur, nostri in tantis difficultatibus et egestate Luxemburgi vitam traherent; unde in litteris ad Clutzium datis hoc anno: „Mei munera est, inquietabat, conservare fratres nostros neque sinere eos ad tanta abjici incommoda, quanta eos passos Luxemburgi comperi et sane evocassem omnes, nisi peculiarem habuisse istius civitatis et populi rationem.“ Levoirem tamen faciebat egestatem illam tum amor in primis sanctae crucis, tum populi eximius favor et benevolentia, atque ipsius Mansfeldii in Societatem animus magis quam ante propensus ac beneficus. Quod tum maxime patuit, cum Clutzium in morbum sat gravem et diuturnum delapsum non modo submissis de mensa sua cibis recrearet, verum etiam ipsem subinde cum omnium admiratione decubentem illum sub paupere tecto invisere est dignatus; et dein saepius per Eustachium a Munichhausen<sup>4)</sup>, tribunum militarem et aulae suae praefectum, virum priscae fidei et Societati nostrae etiam deinceps multis annis quibus vixit valde addictum, visitari iussit. Accedebat duorum prioratum Unseldingani et Vallis Monachorum promissio et auctoritate regia in usum Societatis facta occupatio, prorsus ut de iis obtainendis Patres securi viderentur. Tametsi autem illi inter designatos collegio et seminario prioratus minimi essent, poterant nihilominus aliquantulum saltem Patribus sustentandis initio sufficere et Wiltzius ex fructibus quos ex Unseldingano percipiebat identidem necessaria nonnulla subministrabat. Superabatur itaque his aliisque rationibus penuria illa et egestas et spe futurorum incommoda praesentia tolerabantur.

4) Eustache de Munichhausen, colonel au service de l'Autriche, a joué un rôle assez important parmi la noblesse de notre pays. La date de sa naissance est inconnue. Le 19 janvier 1580, le comte de Mansfeld le nomma grand-bailli du comté de Vianden ainsi que de la terre de St. Vith. Partisan éclairé de la Compagnie de Jésus, il fut un des plus ardents promoteurs de l'établissement des Pères à Luxembourg. En 1609, il prit à sa charge les frais de la distribution des prix aux élèves du collège. *Neyen, Biographie luxembourgeoise, 478. Historia Academiae luxemburgensis, fol. 8.*

Circa domus vero emptionem majores opinione difficultates objectae sunt. Nam cum pro domo Conrardi Soeterani ut supra dictum emenda, Parmensis principis hortatu, Mansfeldius aliique patriae Luxemburgensis proceres pecuniam ab omnibus ordinibus equestri aequae ac plebeo conferendam decrevissent, non exiguum totius populi odium Societas incurrit, et non modo per Luxemburgensem ditionem, sed in interiore etiam Belgio murmura, criminationes ac injuriae passim in Societatem iactabantur. Praecipue vero querebatur ordo equestris: nam cum ab omni tributo regi pendendo exempti forent, admodum gravate ferebant se pro Societate Luxemburgi collocanda contribuere et libertatis suae iacturam facere atque etiam periculum incurrire ne post illa etiam regi perinde ac pro Societatis bono exactions solvere cogerentur. Erant ad haec nonnulli de ipsa Societate, qui non probabant Luxemburgi, in tantilla, ut dicebant, civitate vel certe iis modis quibus proponebatur, collegium fundari. Caeterum certe provinciale parum consiliis illis favisse non semel neque obscure cognitum est. Oliverius autem tametsi magnopere populo et patriae Luxemburgensi faveret, populi tamen illas exactions pro domo Societati comparanda nullo modo poterat probare, quod in simili negotio etiam alia occasione demonstrarat: cum enim pro seminario Luxemburgi stabiliendo peteretur a Sua Sanctitate, ut clero istius ditionis imponeretur tributum 12,000 ducatorum et eam ob causam ingens praelatorum exorta esset querela, difficultatem illam Oliverius Bruxellis privato concilio exposuit rationibusque adductis ostendit, non expedire rationibus Societatis et seminarii, ut talibus viis illud stabiliretur; et rationes illae ejusmodi sunt visae ut, qui regi a conciliis intimis erant, contributionem ecclesiasticam omnino impediverint, esto, uti postmodum evenit, seminarii illa designatio everteretur. Porro illa populi contra domus predictae emptionem murmura et queremoniae ipsa temporis mora capiebant incrementum: dum nimirum variae remorae emptionis contractum retardant, et modo domus illa gubernatoris designabatur, mox sufficiens pretium non afferebatur, alias Soeteranus illam sine aliis praediis aut censibus solam vendere se non posse dictitabat. Quibus omnibus removendis Houstius mira animi magnitudine insu-

dabat et non modo principis auctoritate rem urgebat, sed, etiamsi alia ratione Soeteranus a mente abduci non posset, de suo conferre apud se statuebat in epistola quadam ad Clutzium data: „Id mihi credat, inquit, R. V., me in hoc acturum, ut aedes destinatae et non aliae vobis tribuantur, et si de dicta haereditate difficultas oritur, ego illam meis sumptibus dissolvam“. Quod laudabile in primis Houstii studium et conatus efficere non potuit, quin et negotium hoc ultra desiderium differretur et populi murmura et obtrectationes crescerent, praesertim cum, collata iam ex parte pecunia, animadverterent emptionem non perfici et se optato fine et intentione sua frustrari.

Clutzius interea sollicitus ne ad Oliverii aures hae populi voces pertingerent, quippe quem sciret ab huiusmodi modis pecuniam colligendi mirum quantum alienum et pro bono nomine Societatis tuendo mirifice sollicitum esse, ideoque revera pro auctoritate summa, qua pollebat in negotiis eiusmodi, mandata interponere solitum, in omnem se vertebat partem ne illa quae feliciter ceteroquin Luxemburgi inchoata erant, everterentur. Itaque concilio Luxemburgico mature exponit, quanto-pere expeditat pro Societate retinenda visitatoris benevolentiam conservari, ne forte ob dilationem tam diuturnam et populi murmura peremptorio tandem mandato Patres inde evocet; quibus efficit ut concilium mense iunio 15<sup>a</sup> die litteras ad Oliverium daret, quibus exponebat, pridem magnopere se desiderasse ut Societatis collegium Luxemburgi stabiliretur; tumultus bellicos aliaque gravissima Belgii mala et rei publicae incommoda obstituisse quominus conatus quos serio adhibuisset effectum sortirentur: se daturos operam ut brevi omnino pecunia, quam subditi sponte et sine ullius offensione contulissent, operi tam sancto et reipublicae necessario impenderetur: caetera Clutzium, ecclesiasten suum, prolixius expositurum. Verum, priusquam illae ad Oliverium litterae pervenirent, aliae ab eo ad Clutzium delatae sunt eadem ipsa die 15 iunii scriptae, quibus finis impositus fuit inchoatis illis conatibus et consiliis, et quia graves illae sunt et non modo ob tam serium mandatum quod deferebat, sed ob multas robustasque rationes dignae sunt quas posteritas videat, eas ex autographo ipso hic subiungo. Ita igitur Oliverius: „Iam saepe et ante aliquot menses atque adeo

cum adhuc essem Spirae, scripsi R<sup>a</sup>e V<sup>a</sup>e ut nullo modo consen-tiret in exactionem illam ob collegium vel habitationem eius populo Luxemburgensi sive aliis quibuscunque imponendam, quin reverenter repreaesentaret excellentissimo Dno gubernatori et aliis patronis nullo modo expedire, ut Societas per tam odiosa et a nostris institutis aliena media Lutzemburgi collo-caretur. Quod et ante dixeram dominis ipsis de concilio privato regis, cum in Belgio versarer, illique non tantum probarant, sed et contributionem quam a clero meditati erant prorsus ab-rogarunt, iudicantes, ut sapientissimi sunt, eiusmodi rationes non esse ad aliud aptas quam ad obiicienda multa impedi-menta et obstacula ministeriis Societatis, servitio Dei et fructui spirituali, quem dominus gubernator et alii sibi proponunt in erigendo collegio. Nunc vero intelligo litteris ex Belgio ad me missis et ex aliis magnos rumores esse excitatos contra Societatem ob exactionem impositam baronibus, comitibus et nobilibus omnibus, qui in toto ducatu Luxemburgensi aliqua bona habent, etiamsi ibi non commoren-ter, quod summam Societati invidiam multis nominibus concitat latiusque serpet, ni mature pros-piciatur; et quod dolendum est, existimant sparsim nobiles et vulgus, ista nostris fieri consiliis nosque omnibus viis et rationibus collegia querere nulla habita ratione incommodorum, quae alii nostri causa sustinere debeant. Domina de Barlemon sola re-tulit cuidam doctori amico nostro se ratione castri quod habet in ducatu censam fuisse 220 florenis, caeteros nobiles pro rata similiter bonorum suorum. Quare ut bono nomini Societatis consulamus, visum est nobis in Domino pernecessarium esse, ut omnes intelligent, nos hic totamque Societatem vacare omni culpa. Proinde V. R., visis et lectis hisce litteris (consignatis clavibus domus vestrae magistratui vel quorum intererit et res-titutis omnibus quae habetis mutuo accepta) cun sociis Tre-virim repeat, quod vobis mando omnibus et singulis in virtute sanctae obedientiae, nisi litterae tam tarde redderentur ut melius fore iudicetis expectare in diem insequentem vel tempus non sufficeret restituendis alienis, ad quod tamen non intendo con-cedere vobis amplius quam diem unum. Quod si eo altero die concio habenda foret, modeste et prudenter R. V. rationem reddit abitus vestri: dicat tamen aegre admodum adductum fuisse

Patrem generalem ut consentiret in illud collegium ob difficultates quas praevidebat; auctoritate sola regis et serenissimi principis Parmensis attractum quasi per vim eo fuisse ut consentiret; protestatum nihilominus semper fuisse, se minime consentire ut collegium erigeretur cum gravamine vel cleri vel nobilitatis vel populi. Nunc cum ego videam non posse collegium ad finem perduci absque exactioribus et huiusmodi gravaminibus, auctoritate a P. N. generali mihi concessa me serio iniunxisse et praecepisse vobis ut recedatis. Sed et ante abitum V. R. faciat nostri instituti et intentionis capacem excell<sup>um</sup> dominum gubernatorem, dominum praesidem (si adsint) et alios q<sup>tos</sup> adire poterit, ut intelligent nulla nos a loci aversione adductos ut id faciamus, sed sola necessitate et ne scandalum demus, cum simus innoxii. V. R. sit bono animo ac prudenter et fortiter hoc negotium perficiat, neque Luxemburgum revertatur postea ut maneat et solitas aedes occupet, vel ad noctem unam, sine expressa licentia P. N. generalis, sed si necessitas aliqua cogeret revertendi, ut v. g. propter aliquod bonum spirituale necessarium, judicio rectoris et consultorum eius diversetur in alia aliqua domo honesta et nostris institutis convenienti, ut apud aliquem ecclesiasticum vel honestum virum, apud quem non est strepitus mulierularum, ne quis columnari possit, quod relicitis aedibus nostris alio trahamur affectibus inordinatis. Nam quod non esse repetendas illas aedes ego moneo, eo spectat ut nullis videamus de collegio esse solliciti vel illud ambire aut continuare tractationem. Litteras omnes et instrumenta publica, si quae habetis penes vos, bene conclusas et sub inventario tradite magistratui asservandas, retento inventario fide publica et auctoritate firmato. Aliud non occurrit in praesentiарum. Deus servet R. V. incolumem meique memorem. Heribili 15<sup>a</sup> iunii anno 1586. *Paulo infra erat:* R. V. indignissimus in Chro servus Oliverio Manareo.“

His litteris 28<sup>a</sup> iunii acceptis Clutzius illico se ostendit non minus fortem esse in parendo, quam ante fuerat in animorum bono procurando: adit igitur concilium, absente tunc Mansfeldio, et Oliverii mandata exponit. Illi plurimum hac denuntiatione commoti, in omnem partem se vertunt, ut Clutzium cum sociis retineant cumque ille ob praecepti tam gravis et

praecisi auctoritatem a sententia dimoveri non posset, illud saltem vehementer postularunt, ut causam revocationis celare vellet, ne forte populus gravius commoveretur aut regis auctoritas detrimentum pateretur atque adeo praetextum aliquem Treviros excurrendi assumeret; simul etiam illud petiverunt ut quandoquidem ipse tam feliciter pietatis fundamenta Luxemburgi iecisset et bonum animarum cum tam insigni Societatis commendatione promovisset, brevi rediret. Quod Clutzius, modo Oliverius aut generalis assentiretur, prolixe tum suo tum sociorum nomine pollicitus, actis gratiis pro multimodis beneficiis, quae se Luxemburgi recepisse fatebatur, eodem ipso die 28<sup>a</sup> iunii cum sociis urbe est egressus. Atque ita Societas, postquam pene triennio toto Luxemburgi morata fuerat, locum illum deseruit, opportunius post plurium annorum intervallum redditura.



### LIBER SECUNDUS.

Egressis Luxemburgo Patribus, ut dictum est, concilium regium tametsi aegre ferret illam tam subitam Oliverii evocationem, de Societate tamen restituenda et in civitate illam stabilienda animum non depositum. Igitur litteras ad Oliverium dat illico, quibus exponit quid actum Luxemburgi sit et quid agendum videatur: exactiones nimirum nullas ab equestri ordine pro domo Societati emenda factas, sed sponte urbium et praepositurarum deputatos pecuniae summam ad hunc finem et usum obtulisse, eandem sine violentia aut coactione collectam, nullam per hoc causam datam videri, cur tali modo Patres, et tam severo mandato, et termino tam brevi proposito, evocarentur; id non posse equidem sine regiae auctoritatis diminutione et Societatis insigni praeiudicio fieri, quandoquidem Patres eximio cum pietatis incremento laborassent, et ad Dei gloriam, fidei catholicae conservationem, rei publicae bonum ipsorum praesentia requireretur; regem certe summo studio et zelo eam desiderare; se etiam datus operam sine cuiusquam offensione aut querimonia, ut de domi ad habitandum commoda aliisque ad vitam degendam necessariis mox pro-

spiceretur, atque in illum finem se, mandato regio missō, prioratum Vallis Monachorum sequestro pastori Arlunensi tradere, et quidem ob hasce rationes Clutzium retinere voluisse, sed illum parendi studio nil aliud addicere voluisse quam se sociosque libenter reddituros, dum per superiores suos liceret. Rogare igitur se, ut illum aliosque remittere Oliverius velit, dum ipsi Parmensem principem et Mansfeldium rei gestae seriem edoceant. Similia ad rectorem Trevirensim scribunt quem insuper rogant ut apud Oliverium intercedere velit, ut Clutzio ac sociis fas sit Luxemburgum reverti. De omnibus vero et gestis a Clutzio et a se scriptis supremum concilium secretum regium per litteras a procuratore generali Bruxellensi datas edocent.

Scribit ad haec ipse Mansfeldius ad Oliverium et pluribus suum erga Societatem stabiendam affectum, sine justa cuiusquam offensione prona fore omnia et feliciter successura, cum praesertim totum hoc negotium unicam Dei gloriam et rei publicae salutem spectet.

Quis porro fuerit Houstii sensus facilius est cogitare quam dicere, cum totam illam molem operis saluberrimi et sanctissimi, quam fere unus contra tot adversas molitiones sustentaverat, et tanto studio et conatu eousque adduxerat, repente vidit non modo prostratam, sed funditus pene eversam. Testantur eius id temporis scriptae litterae tristitias, dolores, zelum denique iusta indignatione mixtum. Protestabatur falsissimum illum rumorem de populi querimonii fuisse, deceptum utique eum qui Oliverio talia nuntiasset: se, si scriptorem illum deprehendere unquam possit, ita in eum animadversurum, ut caeteri eius exemplo mereri cautius discerent. Caeterum ex hac ipsa adversitate, quod singularem ejus pietatem et constantiam probat, asserebat, majora nihilominus sibi argumenta negotii protrudendi enata.

Oliverius interim Paderbornae initio accepit Mansfeldii, concilii Luxemburgensis aliorumque litteras quibus singulis respondet et magna cum circumspectione et prudentia concilio praesertim Luxemburgensi exponit, „se quidem causae collegii Luxemburgensis summo ubique semper favisse: Roman pro eo promovendo non semel scripsisse, multa eaque optima pro

illo una cum concilio secreto decrevisse; paene contra generalis voluntatem sociorum habitationem Luxemburgi inde ab exordio conservasse idque non obstantibus multis et gravibus eius interrumpendae occasionibus, quas partim praelati et clerus ob exactionem Romae procuratam, cuius nos auctores crediderunt, uti ex litteris praelati S. Huberti constitit, partim etiam populus Luxemburgici ducatus praebuit, dum de contributionibus est questus. Viros omni exceptione maiores de gravibus illis querelis ad se detulisse. Concilio regio supremo atque etiam Parmensi se illas exposuisse ac diserte praedixisse, nunquam Societatem collegium talibus mediis institutum admissuram. Enimvero nulla ratione expedire ut Societas, quae salutem et fructum animorum duntaxat quaerit, in urbem et patriam Luxemburgensem cum summorum, mediorum et infimorum offensione introducatur. Id ipsis concilii supremi Dominos pridem ita iudicasse, quando polliciti sunt alia media excogitanda. Ea spe se reliquise Luxemburgensem, quam alioquin dissoluturus erat, residentiam: multo enim tempore populi clamores, qui homines Societatis avaros, insatiabiles, bonorum alienorum usurpatores, exactionum et contributionum auctores palam dictitabant, aliaque id genus opprobria et injurias se magno ac forti animo tolerasse, dum spes fieret mediorum suaviorum; quae cum non modo non fuerint reperta, sed praeter populum et clerum etiam equestris ordo, neque in ditione modo Luxemburgica, sed etiam in Brabantia et Flandria ratione praediorum in dicta ditione sitorum graviter conqueratur, non potuisse alia ratione huic malo adhiberi remedium, neque bonae Societatis existimationi alia via prospici, quam eorum qui talium exactionum auctores credebantur et in oculos populi quotidie incurrebat avocatione. Neque vero satis videri quod ordo equestris ad contribuendum non fuerit adactus violenter, sed sponte et voluntarie pecuniam contulerit; 'querimonias certe et opprobria contra Societatem, quantuincunque sapienter exactiones illae institutae fuerint, sine numero fuisse, ad quorum declinationem nostrorum discessum plane fuisse necessarium. Nullam etiam catholicae regiae maiestati injuriam aut notam hoc facto inuri quod pecuniarum illa collectio ipsa non iubente et a populo sponte et ultiro sit facta, neque tam illa contributio quam

hominum querimoniae evitentur. Maiestatein vero eius sapientiae, ut ob nostrorum discessum ad boni nominis conservationem nequaquam sit ullam animi amaritudinem vel offendionem conceptura, quandoquidem populi sui salutein dintaxat quaerit, quae cum odio et tanta populi irritatione a nostris hominibus neutiquam procurari possit."

Haec ad Luxemburgensem senatum Oliverius, similia fere Mansfeldio eodem tempore; similia Houstio cui hoc insuper addebat, se collegii futuri rationibus et promotioni non minori deinceps studio apud patrem nostrum generalem patrocinaturum quam antea; se enim totum esse Luxemburgensem et avocando inde nostros se impense ducatu illi consuluisse. Similia denique Clutzio scripsit. Neque ullis rationibus aut offendionis regis aut Parmensis alienandi animi minis ab illo suo decreto se dimoveri est passus, et quidem sapiens fuisse illius magni viri consilium felix, qui consequentibus annis subsecutus est, reductu Societatis animarum fructus prolixe comprobavit. Ne vero pietatis et virtutis in populo a Patribus facta exordia interirent atque etiam, ut civium erga Societatem benevolentia conservaretur, Clutzius identidem Treviris Luxemburgum excurrebat. Eodem Ioannes Gibbonus, Trevirensis collegii rector, eodem Ioannes Brennerus Luxemburgensis, collegii Confluentini rector, mox post nostrorum discessum occurrit, qui cum primarios civitatis illos viros propinquos aut affines haberet<sup>1)</sup>, conceptum pridem Societatis desiderium in illis confirmavit atque etiam auxit. Hospitium illis aliisque de Societate adventantibus magna

<sup>1)</sup> Brenner, le R. P. Jean, fils de Jean Brenner, dit de Nalbach, greffier au conseil provincial et de Marguerite Housman d'Ebly, fut le premier Luxembourgeois qui entra dans l'ordre des Jésuites, et le premier recteur du collège de Coblenze. Le manuscrit des *Viri illustres* dit de lui: „Ioannes Brenner filius Ioannis Brennerii, secretarii status regis et grapharii Luxemburgensis, primus Luxemburgensis Societatis Iesu, primitas celebravit Luxemburgi coram matre in sacello sancti Clementis, hodie sancti Adriani, Societate necdum Luxemburgi existente, quae post admissa sacello isto usq; est ad viginti annos, concionator egregius, laudatus a Bencio in litteris annuis Societatis Iesu, primus rector collegii Confluentini eiusdemque auctor per Ioannem a Schonberg archiepiscopum Trevirensem amantissimum sui, post vitam apostolicam per Sueviam, mortuus est Monachii.“ Le père Brenner, le dernier de son nom, avait quatre sœurs qui furent mariées, *Jeanne* à Antoine de Blanchart; *Barbe* à Remacle d'Huart; *Marguerite* à Jean de Wiltheim, et enfin *Gertrude* à Melchior Wiltz. (Voy. Neyen, Biographie luxembourgeoise, I, 101).

charitate et liberalitate praebuit R<sup>dus</sup> et generosus dominus Joannes a Brandenburg,<sup>1)</sup> sacerdos, Luxemburgi habitans, qui cum nobilissima regionis istius familia oriundus esset, et a puero ita se pietati addixisset ut etiam contemptis magnis opibus et insigni illius familiae splendore mundo valedicere et in Societate nostra Deo servire decrevisset et in illam admitti etiam a provinciali enixe petiisset, neque tamen gratiam obtinere potuisset, quod magis e re tum ipsius tum Societatis crederetur, si potius in alio vitae genere Deo serviret; eximio semper affectu Societatem coluit ac pluribus eam magnisque beneficiis ornavit, uti suo loco dicendum erit. Illius igitur domo, mensa ac subsidiis liberaliter praebitis nostri Luxemburgum subinde excurrentes liberaliter utebantur. Quamvis vero ii qui de Societate Luxemburgum veniebant et praecipue Clutzius summo omnium civium gaudio exciperetur et minore eorum tristitia ab ipsis divelleretur, collegii tamen fundationem aut erectionem nequaquam illis fas erat sollicitare. Vatabat id Claudius Aquaviva generalis qui a nobis illud negotium non esse urgendum judicabat, cum de Societatis onere, de aliorum utilitate ageretur.

Verum ministri regii, maxime Houstius, opera Parmensis eo rem deduxerant, ut tacente etiam Societate promoveretur. Itaque paulo post, mense scilicet novembri, Roma ad Parmensem bullae geminae pro collegii et seminarii fundatione afferuntur. Quanto bonorum omnium gaudio exceptae sint, dici vix potest. Ubi ea res Luxemburgi ex Houstii litteris innotuit, ipse Brandenburgicus illico Treviros ubi tunc Clutzius degebat excurrit, ut

<sup>1)</sup> Le manuscrit des Viri illustres lui consacre les lignes suivantes: „1620. Ioannes Baro a Brandenburg, Dominus in Meysenburgh Luxemburgensis, sacerdos sine ullo beneficio, consiliarius equestris regis in ducatu Luxemburgensi, mortuus ibidem et sepultus in templo collegii Societatis Iesu, quam studiosus Mussiponti petierat, fundavit unam bursam in seminario Luxemburgensi et collegiis Trevirensi et Luxemburgensi legavit sacram suam suppellectilem et bibliothecam“. Il était fils de Jean, baron de Brandenburg et d'Antoinette de Castel St Nazaire. Il entra au siège des nobles en 1590 et fut convoqué en 1593 avec l'ancienne chevalerie pour assister à la réception de l'archiduc. Il fut aussi conseiller de courte robe au conseil provincial de Luxembourg, mais renonça à ces fonctions en 1622. Par un codicille ajouté en 1628 à son testament de l'année 1620, il légua aux Jésuites de Luxembourg une somme de 1500 florins de Brabant, destinée à la fondation d'une bourse d'études pour l'entretien d'écoliers pauvres de Meysembourg ou de la commune de Leudelange. Il mourut le 3 mars 1630. Voy. Neyen, *Biographie luxembourgeoise*, I, 100 et Ch. Kohn, *Histoire de Lagrange*, I, III-II3.

tam boni successus primus ipse nuntius esse posset. Porro in bullis praedictis a Pontifice maximo mandabatur Guilelmo Lindano, episcopo Ruremundano, et Ioanni a Stryen, episcopo Middelburgensi, ut uterque vel alteruter eorum cui commodius foret, ea quae in bullis continebantur quam primum executioni mandaret. Parmensis igitur bullis acceptis mox ad Lindanum litteras dat eumque rogat, ut, quandoquidem Middelburgensi ob corporis aliquam indispositionem huic negotio vacare non liceret, ipse se executioni accingeret. Mansfeldium deinde bullarum receptione et Lindani commissione edocet serioque hortatur, ut domui Soeteranae comparandae per novas comitum, baronum aliorumque toparcharum contributiones studiose intendat, ut ita locus Societatis patribus mox venturis praeparatus foret; ad haec despiciat in qua urbis parte locus seminario erigendo designari possit. Houstius vero Oliverium de omnibus monet, de felici illo successu plurimum sibi gratulatus. Et quamvis in bullis non collegii modo, sed seminarii negotium contineretur, Houstii tamen, qui prius huius machinae motor existebat, mens erat collegium primum constituere eique de fundatione ampla et solida prospicere; tum dein, collegio perfecto, seminarii erectionem aggredi, atque ita etiam in libello supplici nomine regiae majestatis a Sua Sanctitate petitum et in ipsa bulla pro collegio erigendo concessa expresse praescriptum erat. Et hoc prudenti admodum consilio: quod nimirum seminarii causa non modice odiosa foret ob exactionem et contributionem, quae clero secundum concilii Tridentini decreta ad illius structuram a Pontifice Maximo imponebatur. Occurrebat igitur insuper periculum non modicum esse, ut, si utrumque collegii et seminarii negotium vellet amplecti, neutrum succederet, odioso seminario collegii rationibus nimium officiente. Quae res in sequentibus etiam magis apparebit et memori omnino animo est reponenda, quod nonnulli bullis apostolicis conspectis haereant attoniti, cur collegium fundatum, non item seminarium fuerit. Neque ista ego levi aliqua suspicione aut conjectura ita profero, sed habeo ipsum autographum litterarum a Clutzio scriptarum et signatarum quibus etiam Ioannes Gibbonus collegii Trevirensis rector quaedam praeter nomen suum adscripsit, unde hoc manifester edoceri possit.

Lindanus **interea** Parmensi respondet, sibi quidem nihil gratius iucundiusque fore, quam operi tam sancto et pro quo Sanctissimus, rege catholico ita petente, concessisset, intendere; verum se gravibus diocesis suae negotiis distineri et peractis feriis natalitiis instantibus Venlonae certis de causis adesse debere; itaque post solemnitatem paschalem se Luxemburgum profecturum manumque executioni huic admoturum.

Ex alia parte, digressis patribus Luxemburgo, novam prioratus Vallis Monachorum sibi asserendi Benedictus a Marchia de quo supra egimus arripuit ansam. Nuntium apostolicum iterum adiit et ab eo novum decretum obtinuit, quo Petro Wiltzio inhibebatur, ne administrationi dicti prioratus deinceps se ulla ratione immisceret. Itaque cum postmodum Wiltzius a Parmensi mandatum accepisset ut e reditibus dictae Vallis 160 aureos pro sumptibus bullarum Roma expeditarum dissolvendis numerandos curaret, is sibi inhibitam istorum reddituum quaesturam et administrationem respondit. Indignatus ea re non mediocriter Parmensis illico concilio Luxemburgico imperat, dent operam omni studio ut Benedictus id, quod toties illi iniunctum fuerat quodque promiserat, servet, et primum quidem si fieri possit inducatur ut conditionibus a regia munificentia oblatis acquiescat; sin minus, inhibeatur omnibus villicis decimarum aut aliorum redditum locatoribus et debitoribus ne quicquam Benedicto deinceps solvant, sed omnes prioratus illius fructus detineantur, donec cum nuntio apostolico coram de negotio illo agendi facultas datur. Mansfeldio quoque eandem rem cominendat Parmensis, atque ut omni studio et industria intentioni regiae maiestatis tam sanctae hac in parte satisfieri curet.

Atque hic non est praeterendum, Ioannis Richardoti<sup>1)</sup> tunc temporis concilii sanctioris conciliarii iudicium, qui intellectis Benedicti tricis et tergiversationibus itemque difficulta-

---

<sup>1)</sup> Richardot Jean, président du Conseil Privé à Bruxelles, père de Pierre Richardot, qui succéda à Jean Bertels comme abbé de St Willibord à Echternach. L'abbé Richardot, qui enrichit, au témoignage de Bertholet, la bibliothèque de son abbaye de beaucoup de livres destinés à l'instruction et à l'éducation des religieux, suivit l'exemple paternel et resta l'ami des Jésuites et de leur collège naissant. Il se chargea, en 1610, des frais de la distribution des prix. Voy. *Neyen*, *op. cit. I*, 81, et *Historia Academiae luxemburgensis*, 1610.

tibus, quae in colligenda pecunia pro domo comparanda etiam tum occurabant, duo per litteras quorum autographum habemus, suadebat concilio privato, primum, ut, postquam hypocrisis et simulatio, uti aiebat, Benedicti nimium probata foret, ne obolus quidem de pensione promissa solveretur, sed omnes reditus sequestrati manerent, litigaret interea ipse quantum liberet; secundum ut quandoquidem de collegio Societatis fundando, quod utique pium et sanctum omnino opus foret, ageretur, rex ipse gloriam illam sibi reservaret et ex aerario suo pecuniam largiretur qua domus emeretur et initium tandem, mora omni abrupta, collegii fieret. Sed consilium illud ceteroquin optimum locum non habuit.

Exordio 1587 iteratas Parmensis dat litteras ad concilium Luxemburgense mensibus ianuario et martis, quibus non modo utriusque illius negotii de domo scilicet comparanda et Valle Monachorum Societati asserenda expeditionem commendabat, sed expostulabat etiam et tantum non increpabat consiliarios, quod in negotio tam sancto, tam necessario, tam a regia maiestate exoptato ipsi cunctarentur; hoc inde maxime patere quod ad summam 5843 thalerorum, quae pridem pro dicta emptione corrogata fuerat, nulla appareret facta accessio: quod neque a marchionissa Badensi, neque ab aliis toparchis prout sperabatur quidquam ope subditorum ipsorum additum foret; quod ea quae circa reditus et fructus Vallis Monachorum praescripta fuerant, non viderentur executioni mandata: iniunctum etiam praesidi fuisse, ut cum abbe Aureae Vallis ageret, ut ipse pensionem 300 florenorum Benedicto solvendam in se susciperet: nihil quoque de hac re responderi.

Concilium cum Mansfeldio, cui hoc negotium praecipue curandum erat relictum, omnia communicat, qui consideratis iis quae agebantur et productis variis scriptis et actis, palam ostendit se nihil eorum quae fieri pro hac causa poterant, omisisse; se non verbis tantum eam commendasse, verum etiam litteras a Parmensi scriptas diversis patriae proceribus tradidisse, operam suam iisdem addixisse. Illud vero neutiquam sibi probari, quod nonnulli litteras ad proceres darent, quibus eos hortabantur, ut subditis exactiones in hunc finem imponerent: vasallorum quippe non esse tributum a suis subditis exigere,

etiam rem non sine gravi regiae maiestatis iniuria fieri, et nequaquam impune debere praetermitti. Quibus omnibus cognitis Parmensi a concilio responsum est et satis indicatum vix sperari posse, maiorem pecuniae vim pro emptione praedicta perficienda, cum venditoribus vero domus aegre posse tractari quod aliqui ex iis a patria longe abessent.

Ita in dies plures incidebant negotii illius remorae, et quod in plerisque Dei causis evenire solet ut quam plurimis oppositionibus et difficultatibus implicentur, etiam hic contigit. Quin imo eo ventum est ut Mansfeldius nescio ob quas considerationes collegium non tam Luxemburgi, sed Arluni vellet erigi: quae res ubi a Patribus cognita fuit, illico Houstio nuntiatur, ut, si rem totam collegii eversam vellet, sineret sententiam illam de Arluno invalescere. Evidem si Mansfeldius rationes haberet cur potius Arluni quam Luxemburgi collegium constitui vellet, non defuturas etiam rationes generali nostro cur nusquam in ducatu Luxemburgico collegium collocaret; solam equidem divinae maiestatis gloriam et animarum salutem hac in re quaeri; ac nihil praeterea. Cui vero dubium esse possit, quin nominis gloria magis in primaria patriae urbe quam in exiguo oppidulo promoveri queat? plurimum interesse ad reipublicae bonum, ut illius caput sanum sit et integrum et ut ii qui ad gubernacula sedent Deum frequenter pree oculis habeant; id utique efficacius si Luxemburgi sit collegium quam usquam alibi obtentum iri. His aliisque rationibus consilium illud de Arluno in primo illo suo exordio oppressum fuit, et quantumvis deinceps nonnulli, qui sua potius quam quae Dei sunt quaerebant, de eo aliquid mussitarunt, nihil tamen effectum est.

Eodem tempore Parmensis Wiltzio mandat ut assumpto aliquo socio prioratum in ducatu Luxemburgico sitorum annuos investigaret redditus, census et fructus eorumque omnium summam scripto mandaret et exhiberet: id necessario omnino faciendum, quod Ruremundanus episcopus bullas Roma acceptas, prout ipsi a Sanctissimo iniunctum fuerat, processu ut vocant fulminato, post ferias paschales executurus esset. Negotio illi Wiltzius se naviter accingit.

Interea bullarum summa et praecipua capita ab Houstio

ad Oliverium aliosque transmissa sunt, de quibus operaे pretium erit hic aliqua delibare. Libellum supplicem Gregorio P. M. XIII nomine regiae majestatis obtulerat Bliulius, Romae ejusdem majestatis pro Belgio agens, quem libellum ad verbum initio hujus historiae descripsimus. Cum vero duo potissimum rex catholicus Philipus II a Pontifice peteret, ut scilicet primum collegium Societatis, dein seminarium Luxemburgi erigeretur et redditibus ecclesiasticis patriae illius fundaretur, utrumq[ue] a piissimo et sanctissimo domino obtinuit. Verum priusquam litterae apostolicae hac super re expedirentur, Pontifex optimus vivere desiit, successore Sixto quinto ei suffecto. Hic igitur, urgente rege catholico, bullas geminas anno 1585, cal. maii, concessit, et quae Gregorius praedecessor decreverat litteris apostolicis in forma amplissima corroboravit, Guilelmo Lindano Ruremundano et Ioanni a Stryen Middelburgensi episcopis iniunxit, prout supra dictum est, ut praefatas bullas executioni mandarent. Prioris vero bullae haec praecipua erant capita. Pro ducatus Luxemburgensis et comitatus Chiniensis salute collegium societatis Jesu Luxemburgi auctoritate apostolica erigerent et loco quem Patres societatis delegissent: pro sustentatione vero et alienentis rectoris et collegialium unirentur et incorporarentur bona tam ecclesiae collegiate S. Joannis desertae quam prioratus non conventuales in illa ditione siti quorum redditus 3000 florinorum annua conficerent. Provinciali Germaniae Inferioris et collegii erigendi rectori et collegialibus potestas fieret, dictos prioratus et ecclesiam collegiatam et eorum fructus et redditus realiter apprehendendi et possidendi, ea tamen lege ut ecclesiae et prioratum praedictorum onera supportare tenerentur. Posterior vero bulla haec decernebat, ut postquam unio prioratu[m] nonnullorum Luxemburgico collegio societatis in dicto oppido erecto facta effectum sortita fuerit, erigeretur etiam per supradictos episcopos in eodem oppido seminarium iuxta concilii Tridentini dispositionem, in quo iuentus vera religione, pii moribus, scientiis et disciplinis instrueretur: locus idoneus illi ab episcopis praedictis deligeretur, pecuniam vero tam pro fundo emendo quam aedificiis exstruendis praelati aliquique viri ecclesiastici ejusdem ditionis, qui secundum concilium Tridentinum ad id obligabantur, conferrent; ad alimenta denique tum rectoris

tum puerorum qui in seminario educandi essent, ex prioratibus non conventionalibus ejusdem ditionis unirentur et incorporarentur seminario nonnulli quorum redditus ad 2000 florenorum annua aestimetur, ea quoque lege, ut onera dictorum prioratuum seminarium in se susciperet.

Postquam ex litteris Houstii hunc esse bullarum sensum Oliverius cognovit, vehementer eas improbavit et praesertim illud caput, quo **prioratus** conjunctum et velut in una massa tam seminarii quam collegii fundationi a pontifice designabantur. Hoc enim vero, aiebat Oliverius, esse contra id quod saepius ante fuerat conclusum: Houstium vero ipsum certos prioratus quatuor collegio pridem designasse, Blilium etiam Roma scripsisse, generali fixum esse collegium nullo pacto admittere, nisi certi prioratus firmissime et legitime illi essent attributi; id ipsum se prius coram indicasse, se etiam nunc a mente et voluntate generalis neutiquam recessurum, neque ullo modo collegium nisi hac conditione admissurum; se religiosum utique esse et obedientia ac parendi studio nihil sibi esse antiquius. Non expedire certe ut homines nostri cum episcopis deputatis a S. Sede ad disputandum de valore prioratuum committantur: notos tam esse non modo in Belgio, sed etiam in urbe obloctiones ac motus cleri, multorumque erigendo collegio contraria studia patere, quae omnia, accedente hac fundationis perplexitate, animum generalis a collegio prorsus alienatura. Quodsi ideo a prima illa quatuor prioratuum designatione recessum sit, quia nonnullis placuit forte illos pluris aestimare, certe vanissimum id videri et se utique posteritatis curam habiturum, ne forte successores sub onere sibi imposito graviter gemere cogantur: neque enim nostrorum praceptorum et laborantium stomachos vana illa aestimatione reficiendos, neque nos adeo fore stupidos, ut, si deprehendamus nos ab illis estimatoribus deceptos, non redeamus ad eos, qui sincere et paterne nos habere velint. Considerarent porro ipsi societatis nostrae homines ex operis et laboribus suis quaestum nullum facere, neque scholis missis anniversariis praesentiis concionibus funeribus confessionibus etc. quicquam colligere, sed omnia ad vitam necessaria in censu debere sumi: malle se omnino roborari quae tunc possidebat societas collegia quam illa multiplicari. Neque

tamen Luxemburgensibus, quemadmodum principibus et prae-latis pluribus factum, denegari collegium, sed illud duntaxat quaeri, ut quemadmodum possunt ipsi fundationem ejus, uti par est, confirmare. Haec aliaque plura Oliverius Houstio cor-date et libere, prout ex litteris manu ejus scriptis, quae penes nos sunt, manifestum est, opponebat, addens negotium sibi esse cum viro sapiente cui pauca illa sufficerent.

Eadem fere Clutzius eodem tempore Houstio scribebat, et hoc insuper addebat se experientia doctum quam iniquum quo-rundam foret in prioratibus aestimandis iudicium: nam cum constaret Useldinganum beneficium vix annuos florenos 300 valere, Mansfeldium tamen episcopo Vercellensi nuntio apostolico non ita pridem dixisse mille florenis annuis illud aestimari; nimirum illa aestimandi licentia introducta futurum, ut pro 3000 collegium vix 2000 annua sit habiturum, cum tamen generalis pridem declaraverit, omnino 3000 florenorum non brabantio-corum, sed rhenensium ad fundationem illam requiri. Proinde si collegium illud obtinere vellet Houstius, hoc ageret ut certi prioratus collegio designentur, qui facile 3000 non modo brabantiorum, sed rhenensium etiam florenorum reddant: quo enim melius collegium fundatum fuerit, eo plures illo magis-que idoneas sustentatum iri personas. Denique meminisset etiam illius consilii quod ipse quondam suggesserat ut prius collegium quam seminarium erigeretur, nam si utrumque simul complecti voluerit, utrumque prorsus eversum iri: seminarium enim aliorum contributionibus erigendum esse et hinc futurum ut quicquid illi seminario dederint, id collegio adscripturi sint, et proinde odium omne a seminario in collegium derivandum et utriusque progressum intervertendum.

Neque vero inutiles hae Oliverii, Clutzii aliorumque oppositiones et postulationes fuerunt: nam Houstius non modo addixit certos se prioratus collegii fundationi curaturum eosque secundum verissimas, quantum quisque valerent, demonstrationes aestimatos et quidem prius pro collegii quam seminarii fun-datione, sed facto etiam promissa sua complevit, cum aliquot post annos effecit, ut quatuor certi prioratus collegio assigna-rentur. Porro quod in bulla collegii denominati certi illi prioratus non fuissent, hoc ideo factum aiebat Houstius, ut sic liberius, quod e re societatis foret, statui posset.

Verum hic celebranda iterum est insignis Houstii fortitudo et constantia. Grave praelatorum Luxemburgensium odium sibi conciliarat, quod illius exactionis pro seminario fundando auctor crederetur, unde etiam factum est ut, quod initio diximus, sparsum et apud reipublicae proceres creditum fuerit, ab Houstio Mansfeldium et patriam Luxemburgensem haereseos apud pontificem maximum et apud regem catholicum accusatos: sed falsitatem istius commenti tum ipsa instructio Blilio data ostendit quam Roma in autographo ab ipso acceptam Vendevillius Mansfeldio postmodum misit, tum maxime bullae ipsae probarunt, in quibus cum summa laude celebrabatur, quod ducatus Luxemburgensis et ei adjunctus comitatus Chiniensis, inter tot haereses quae in partes Germaniae inferioris retroactis annis irrepsérant, Deo propitiante illibatus remanserat et remanebat. Quamquam refutata tam luculentis testimonii praedicta calumnia, adhuc nihilominus Houstius eorum, qui pecuniam pro seminarii fundo et aedificiis conferre debebant, odio et insectationibus patebat, sed quam parvi illas faceret, docet id quod in litteris ad Clutzium datis inseruit: „Comiciant, inquit, in me omnem culpam, odia, criminationes, et si quid peius ex cogitare poterunt, libenter patiar“. Quae profecto verba aeterna memoria digna ostendunt, quantum simul divinae gloriae etiam per opprobria et insectationes promovendae extiterit ardor et studium.

Dum haec ultro citroque litteris aguntur, ad episcopos commissarios supranominatos bullarum exemplaria nomine regis catholici mittuntur roganturque ut executioni manum applicent. Tametsi vero spem facerent subaestatem eiusdem anni Luxemburgum proficisciendi, nihil tamen actum et in sequentem annum ultima executio est dilata.

Eodem anno 1587 diem suum obiit Claudius Gouletius, familiae benedictinae monasterii S. Arnulphi Metensis religiosus, qui prioratum Chiniensem usque ad id tempus possederat. Erat porro prioratus is unus ex illis qui a S. Sede collegio societatis Luxemburgi fundando assignati erant, et olim quidem ex Arnulphi coenitis Chiniensis liberalitate originem duxerat, qui anno 1097 redemptionis avidus (quemadmodum ipse in donationis tabulis loquitur) et propriae salutis sollicitus ex rebus quas

bonorum omnium largitoris perceperat munere, pro suis excessibus quasi vades illi transmittere destinavit atque adeo praeter ecclesiam S. Walburgis intra castrum suum Chiniense sitam, etiam ecclesiam de Casa Petra<sup>1)</sup>) aliasque plurimos fundos et iura divinae maiestati donavit eo fine et mente, ut religiosi ex cenobio Metensi S. Arnulphi complures eo mitterentur qui coenobiticam agentes vitam Deo illic servirent; dato etiam mandato utriusque filio Othoni et Ludovico, ut fratres illos magno studio foverent, et si forte inde discederent, alios aliunde accersitos in eorum locum substituerent. Missi sunt a Walone<sup>2)</sup>) tum abbe S. Arnulphi monachii qui locum incolerent et consequentibus annis, ubi par est credere, alii aliis succedentes sanctam et coenobiticam illic vitam duxerunt. Verum posterioribus saeculis fundatoris, uti fieri in talibus amat, menti satisfactum non fuit; nam unicus demum e praedicto S. Arnulphi coenobio religiosus ab abbe missus prioratu toto illo cum annuis suis fructibus potiebatur, parvo ecclesiae fructu, minore etiam nonnunquam sanctimoniae exemplo. Mortuo igitur hoc anno, uti diximus, Claudio Gouletio, prioratus illius possessore, Hubertus Richerius,<sup>3)</sup> ejusdem cenobii S. Arnulphi religiosus, collationem illius beneficii a Desiderio Tossano<sup>4)</sup> abbate in forina consueta obtinuit. Petuit mox a regio concilio facultatem adeundi virtute illius collationis possessionem, quam placetum vulgo appellant, eo quod ex antiquis privilegiis a S. Sede Burgundiae ducibus concessis beneficia in ducatu Luxemburgensi sita sine ejusmodi regia concessione possideri nequeunt. Verum regii ministri, probe consciit, in quem usum prioratus ille cum omnibus suis fructibus destinatus esset a pontifice maximo et rege catholico, Arnulphi quondam primi fundatoris Chiniensis successori placetum denegarunt. Questi sunt ob hanc denegationem non

<sup>1)</sup> Casa Petra, Chassepierre, arrondissement de Virton.

<sup>2)</sup> C'est en 1063 que Walo fut nommé abbé de l'abbaye royale de St. Arnould à Metz.

<sup>3)</sup> Domino Claudio Goulet, priori Chisiaciensi vita functo, 19 octobris dominus Humbertus Richier successit non diu dignitate functus. Cum enim Philippus, Hispaniarum rex, collegium Societatis Iesu Luxemburgi erigere vellet, a Sixto V septem prioratum suppressionem adeptus est, unde ex Chisiaco non inita possessione auctoritate regia expulsus est coique summoto prioratus possessionem adierunt Ignatianistae. *Bailey, Antiquitatum Arnulfinarum libri tres, 1730, p. 539.* (*Manuscrit de la bibliothèque de Metz*).

<sup>4)</sup> Désiré ou Didier Toussaint, abbé de St. Arnould de 1566 à 1582.

Richerius modo, sed et abbas Desiderius Tossanus et Metensis gubernator, et nihilominus regia auctoritate sive neglecta sive contempta dictus monachus sub finem anni Chiniensis prioratus possessionem occupavit. Quid inde fuerit consecutum, proximis annis copiose exponetur.

Interea Wiltzius duos alios prioratus, Unseldinganum et Vallem Monachorum, nomine regiae majestatis possidebat et administrabat, difficultatibus et oppositionibus iis quas diximus, admittente concilio Luxemburgensi et regio intimo, vel compositis vel superatis, ita tamen ut Benedicto annuos 300 florenos a Parnensi assignatos e redditibus Vallis Monachorum penderet, rationes porro utriusque beneficii ex concilii regii intimi decreto Fabio<sup>1)</sup> consiliario et Ioanni Wilthemio graphaeo<sup>2)</sup> statis vicibus et temporibus reddebat.

Exordio anni 1588 sollicitante Houstio concilium regium intimum cum episcopis commissariis serio egit, ut ad bullarum apostolicarum executionem procederent. Quia vero ante omnia requirebatur notitia veri valoris prioratum incorporandorum, episcopus Middelburgensis mandavit decano Bruxellensi S. Gudulae, ut ex iis quae Wiltzius anno superiori, assumpto, prout iussus fuerat, socio fide digno Ioanne Neunheusero<sup>3)</sup>,

<sup>1)</sup> Jean Guillaume Fèvre, docteur ès droits, nommé conseiller ordinaire au conseil de Luxembourg par patentes datées de Bruxelles le 10 mars 1587, aux gages annuels de 270 livres, en remplacement d'Antoine Houst; il prêta serment le 11 mai 1587. (Note communiquée par Mr le professeur Dr Nic. van Werveke).

<sup>2)</sup> Jean de Wiltheim, né à St. Vith le 18 mai 1558, seigneur de Waldbredimus, fut nommé en 1580 substitut-greffier du conseil provincial de Luxembourg. Devenu peu de temps après greffier en titre, il épousa Marguerite Brenner de Nalbach, le 24 février 1585. „Il était très vertueux et dévôt, dit son fils Jean dans la biographie qu'il nous a laissée de son père, et a fort coopéré à ce que les Jésuites s'établissent à Luxembourg.“ Trois de ses fils entrèrent dans la Compagnie de Jésus, Alexandre, le plus célèbre et le plus remarquable des archéologues luxembourgeois, Jean-Guillaume et Jean-Gaspard. Voy. Neyen, *Biographie luxembourgeoise*, II, 245 et ss.

<sup>3)</sup> La famille de Neunheuser est originaire de Nittel, village situé sur la rive droite de la Moselle. Elle fut anoblie par patentes de l'empereur Maximilien I<sup>e</sup>, datées d'Innsbruck le 24 décembre 1506. Il paraît qu'elle quitta peu de temps après sa résidence de Nittel et vint se fixer à Arlon et à Luxembourg. Un membre de cette famille, Jacques de Neunheuser, par donation entre vifs faite le 15 mai 1671, céda aux Jésuites de Luxembourg la succession de sa tante, Anne de Neunheuser, morte au mois de février de la même année. Cette succession s'élevait à 3000 écus, dont deux mille (9200 francs) furent destinés par le donateur au pensionnat ou séminaire attaché au collège. Voy. Neyen, op. cit. II, 19. Namur, *Bourses d'études fondées au Collège des Jésuites à Luxembourg. Programme de l'athénée, 1846—47*, XXIII.

scabino Arlunensi, et notario, prioratus praecipuos Luxemburgenses obivit et de eorum valore accurate inquisivit, nimirum de Longlier<sup>1)</sup> apud Novocastrum, de Suxensi,<sup>2)</sup> Chimiensi, Valle Monachorum, cuius et Useldingani valorem exactum ipse eorum administrator optime nosse poterat; novissime etiam Leodium ad Theodoricum de Linden, Aqualiensem priorem, se contulit, a quo de Aqualiae valore iurisdictione redditibus prolixè est edocüt, quae omnia in tabulas retulit, quarum exemplar hodieque apud nos exstat a Neunheusero signatum. Ex autographo vero, quod Bruxellas est missum aliisque Wiltzii et concilii Luxemburgensis instructionibus facile fuit dicto decano S. Gundulae de valore prioratum notitiam plene capere et Lovanium ad Middelburgensem mittere. Degebat id temporis dictus episcopus Lovanii in collegio regio, Lindanus vero in civitate sua Ruremundana perstabat, cunque ob itinerum pericula et negotiorum gravium molem collegae conjungi et diocesi et urbe sua excedere non licet, Middelburgensi ad bullarum executionem et processum, ut loquuntur, fulminandum, omnem suam potestatem per mandatum subdelegationis (uti de iure poterat) transscripsit. Quo mandato instructus Middelburgensis tandem 24 die mensis octobris litteras processus in forma solita decrevit et concessit, quibus in oppido Luxemburgensi collegium societatis Jesu cum ecclesia auctoritate apostolica erexit, in loco per rectorem dicti collegii deligendo, privilegiis et gratiis omnibus quae similibus aliis collegiis concessa sunt attributis. Pro sustentandis vero dicti collegii personis vel saltem pro subventione sustentationis prioratus supradicti Aqualia, Vallis Monachorum, Unseldingum, Chiny et Longlier cum omnibus suis fructibus, iuribus et proprietatibus usque ad valorem 3000 florenorum brabanticorum eidem collegio univit et incorporavit, supprimendo et extinguedo in illis ordines et statum regularem quorum eo tempore prioratus praedicti existerent. vel a quibus dependerent, data potestate praeposito provinciali inferioris

<sup>1)</sup> Le prieuré de Longlier fut fondé vers 1050 par le duc Godefroid. Il fut cédé en 1164 aux abbés et religieux de l'abbaye de Florenne avec le franc-allem de Longlier. Tandel, op. cit. VI, a, 161.

<sup>2)</sup> Le prieuré de Suxy (pr. de Luxembourg, à 2 lieues de Florenville), fut fondé en 1286 par Louis V, comte de Chiny et de Loz, et la comtesse Jeanne. Tandel, op. cit., VI a, 222.

Germaniac, atque etiam rectori et collegialibus dicti collegii, ut per se vel per alios prioratum dictorum realem possessio- nem apprehenderent, iisque pleno iure uterentur et foverentur, idque ubi primum quoquaque modo eos vacare contigisset, ea tamen lege ut consueta dictorum prioratum onera rector et collegiales eiusdem collegii supportare tenerentur. Addidit de- nique mandatum ad omnes praelatos, presbyteros, clericos, tabelliones, ut, quando ipse ea quae supererant non poterat in persona exequi, ipsi vices eius tanquam subdelegati obirent, ac legitiue sive a rege sive a rectore et collegialibus eiusdem collegii requisiti, processum hunc insinuarent, intimarent, publi- carent atque ab omnibus observari facerent. Caetera quae hue spectant, in praefato processu videri possunt.

Decrevit vero processum similem in multis clausulis idem Middelburgicus pro executione bullae, quam pontifex maximus pro erigendo Luxemburgicō seminario concesserat; verum is, tametsi in nonnullis sententiis similis esset, in multis tamen discrepavit et in his praeципie: prium, quod prioratum nullum nominaret, sed in genere tantum aliquos patriae Luxembur- gensis; deinde, quod bullam simpliciter et sine explicatione exequi duntaxat mandabat in quo illud expressis verbis cautum erat, ut seminarium non erigeretur, nisi postquam collegii fundationi et erectioni prospectum esset; denique, quod potes- tatem faciebat subdelegatis suis omnibus, ut adigerent praelatos omnes et alios qui secundum concilium Tridentinum ad hoc obligabantur ut ad domum et aedificia pro dicto seminario coēmenda pecuniam conferrent.

Ita hic processus interque a Middelburgensi eo quo dictum tempore et loco expeditus fuit, neque tamen effectum nisi post plures annos alter tantum eorum obtinuit. Cuius eventus causas facile est suspicari, qui divinorum operum con- ditionem accurate voluerit perpendere, quae constat multis molitionibus et machinationibus contrariis plerumque oppugnari. Quod in hoc negotio eo etiam erat proclivius, quod ageretur de transferendis bonis ecclesiae iisque non contemnendis ab antiquis possessoribus ad novos eosque non omnibus ob dis- ciplinam severiorem admodum gratos. Accedebat illa ecclē- siasticorum pro seminario nimis quam odiosa contributio et

exactio: ad haec Mansfeldii ob Houstii delationes et illa pridem a Peraxylo nostro dicta exulceratio, praesidis vero van der Aa ob eruptum filio prioratum Unseldinganum alienatio, qui facile alios proceres aut primarios viros a negotii huius promotione distrahebant. His tamen omnibus Houstii constantia non cedebat, sed in omnem rei bene gerendae et confirmandae occasionem oculos habebat intentos.

Mansfeldius id temporis ob nescio quae negotia Bruxellis erat; ad illum mense aprilii et maio Luxemburgense concilium per litteras retulit, quas gubernator Metensis et S. Arnulphi abbas ob Chiniensem prioratum de rege regiusque ministris querelas agitarent, quod nimirum prioratus ille, quem abbatiae Metensis membrum esse asserebant, contra omnia iura a corpore suo divelleretur. Concilium regium intimum iis ex Mansfeldio intellectis, tametsi iudicaret querelas illas nullo legitimo fundamento nixas, quippe quod rex catholicus eo iure uteretur, quod pontifex maximus diserte statuisset quidem pro sanctissimo opere, uti habent litterae tunc a concilio scriptae, nimirum pro fundatione collegii societatis Iesu, tamen ut securius procederet, mandavit Luxemburgensi concilio ut per homines idoneos investigaret, pluresne redditus in patria Metensi haberent subditi regii an econtra, ut, si forte Metenses vellent via facti et repraesaliorum iure uti, per contrariam redditum suorum retentionem coerceri possent. Qua informatione habita deprehensum est Metenses ecclesiasticos tantundem atque etiam plus redditum in ditione Luxemburgensi quam Luxemburgenses in episcopatu Metensi habere; quae posteaquam Bruxellas missa sub finem anni, mandatum est a regio concilio Luxemburgensi vicepraeposito Chiniensi, Tassino Fangio,<sup>1)</sup> ut domum prioratus praedicti adiret, prospiceret ne quid suppellectilis inde efferretur, sarta aedificiorum tecta servarentur, prout etiam alias ipsi iunctum fuerat; insuper virum ecclesiasticum idoneum designaret,

---

<sup>1)</sup> Jean du Faing, dit de Tassigny, né au Faing, le 24 février 1524, seigneur du Faing-Jamoigne, Linay, La Crouée et Griffomont, gouverneur, capitaine et prévôt de Chiny. „Après s'avoir acquitté dignement et fidèlement en charges honorables tant en guerre qu'en paix pour le service de l'empereur Charles V et le roy Philippe II, laissa ce monde au regret de tous le 15<sup>e</sup> de février l'an 1594.“ Neyen, *Histoire de la baronie de Jamoigne et de ses seigneurs. Publications de la section historique de l'Institut*, X, 87.

qui dictum prioratum tam in spiritualibus quam in temporalibus regeret nomine regiae maiestatis, dato fideiussore, quod exactam quandocunque iuberetur rationem de omnibus redditibus, fructibus et suppellectile redditurus esset. Quodsi vero is, qui tunc temporis prioratum occupabat, vellet conditiones illas admittere et fideiussorem exhibere, is aliis praferretur. Verum Fangius vicepraepositus, qui administrationem prioratus suscipere vellet reperit neminem; ipse vero beneficij illius detentor Hub. Richerius onus illud et conditiones quae offerebantur admittere noluit, se ignarum iurum istius prioratus dictans et exiguos, quos inde perciperet redditus, se in peregrinorum illac frequenter transeuntium sustentationem impendere, decimas porro omnes iam pro illo anno certa pecunia accepta locatoribus nonnullis se reliquise. Quae omnia Fangius ad concilium Luxemburgense refert.

Eodem tempore Wiltzius, qui anno superiore administrationis et quaesturae suae rationes reddiderat coram Fabio consiliario et Wilhemio graphaeo, et plura se exposuisse quam recepisse ex redditibus prioratum Useldingae et Vallis Monachorum demonstrarat, petit a concilio intimo, ut tam expositam illam suimam quam stipendum quaesturae suae obtinere posset. A concilio intimo ad Luxemburgense cum litteris clausis remissus est et hinc mandatum ut homini satisfacerent eumque in quaestura illa foverent. Auditis igitur a Fabio et Wilhemio illius considerationibus iisque ad concilium relatis, propositum est illi certum stipendum, quod quia exilius iusto illi videbatur reiectum fuit.

Interea dum iam tertium annum societas Luxemburgo abest et nihilominus prioratus supradicti ab ordinibus religiosis ad quos spectabant abstracti a regiis ministris detinentur, anno 1589, nomine praelatorum Luxemburgensis ditionis, concilio privato regio libellus offertur supplex, in quo petitur, ut quandoquidem Patres societatis Luxemburgi collegium non erigant neque sedem ullam ibi habeant, prioratus praedicti, regia auctoritate occupati, ordinibus quisque suum restituantur. Eares sollicitos plane habuit concilii privati proceres: nam qui praetensis praelatis responderet et partes societatis ageret, occurebat nemo. Ipsi Patres assueti non litigare pro collegiorum

fundationibus obtinendis, sed oblatas duntaxat **admittere**, ubi e divinae maiestatis gloria esse crederent, non movebantur nec quicquam proponebant. Itaque haec tandem sententia procerum fuit, Parmerensem de tota re instruendum et per Broissium<sup>1)</sup> qui in castris tunc illi aderat rogandum, ut a Claudio Aquaviva generali obtineat, ut saltem Patres aliquot Luxemburgum missionis instar destineantur, dum plures prioratus ad integrum collegii fundationem sufficientes occupari regia auctoritate possent. Id enimvero mirifice utile rei christiana et populi istius ditionis saluti, concilio vero, quod pluribus litteris superioribus annis desiderium Patres retinendi declaraverat, gratissimum futurum; Oliverium insuper Manareum, pro suo erga huius tam sancti operis promotionem affectu, omni studio apud generalem suum allaboraturum; ita demum iis qui adversabantur os obstruendum et prioratus in manibus societatis permansuros. Quid inde secutum sit, non satis compertum habeo; illud constat praetensos illos prelatos nihil obtinuisse, sed prioratus in manibus regiis mansisse, missionem vero societatis non nisi post plures annos a Claudio Aquaviva concessam eamque vero tanto gratiorem quanto diutius a principibus et proceribus Belgis fuerat expetita.

Quod vero ad prioratus illos attinet, maior penit occurrebat in administrandis illis quam retinendis difficultas. Wiltzius nec-dum obtento stipendio quod pridem petierat, administratione illa Unseldinga et Vallis abdicare se conabatur. Luxemburgense igitur concilium privato concilio proposuit, placeretne dictis prioratibus singulis atque etiam Chiniensi sacellanos praefici, qui fideiussoribus assignatis redditum omnium quaesturam exercerent et simul ministeria sacra omnia obirent. Verum haec administrandi ratio postmodum ipsi concilio displicuit et potius

<sup>1)</sup> Le R. P. van Meurs croit que Broissius est la forme latine que le P. de Florbecq a donnée au nom du P. Barthélemy Brossart qui naquit à Namur vers 1550 et entra dans la Compagnie de Jésus à Rome en 1567. Il devint peu de temps après missionarius castrensis en Belgique. Comme il était connu à Rome, son rapport était facilement accepté et pouvait exercer l'influence la plus heureuse sur la marche des négociations. Il ne faut pas confondre le P. Barthélemy Brossart avec le P. Christophe Brossard, qui entra dans la Compagnie de Jésus en 1584 et fut chancelier de l'Université de Pont-à-Mousson de 1596 à 1603, puis préfet des classes au collège de la Flèche où il incurrit le 2 mars 1629. (Cité par le P. Camille de Rochemonteix dans son Histoire du collège Henri IV de la Flèche, I, 65).

visum augere Wiltzii stipendium, ut tres illos prioratus simul in omnibus regeret, quippe qui duorum saltem notitiam accuratam a multo iam tempore acquisivisset. Et hoc concilio tandem privato placuit, ab eoque assignati 150 floreni brabantici pro stipendio Wiltzii annuo, quo ille tam pro praeteritis quam consequentibus annis, usque dum societas prioratus possidere coepit, constanter est fructus, tametsi nonnisi duos prioratus Unseldinganum et Vallensem administravit.

Iam in Chiniensi prioratu tam occupando quam defendendo tum hoc tum pluribus deinceps annis non mediocriter laboratum fuit. Evidem Richerius eius detentor superiore anno, uti dictum est, Fangio nomine regis illuc misso praefracte satis responderat, se nec administrare nomine regis velle suum prioratum, neque de redditibus aut decimis quicquam e manibus dimittere. Quo intellecto concilium privatum regium et comperto quod Metenses ecclesiastici plus censuum et reddituum in ditione Luxemburgensi possiderent, quam regii in Metensi, Luxemburgensi concilio mandat, videret etiam atque etiam ut administratoribus dictis deficientibus reditus omnes illius prioratus, nomine regiae majestatis, publica auctione elocandi proponerentur, Richerius vero intrusus ad restitutionem fructuum perceptorum convenientibus modis adigeretur; neque Richerio fas fuisse beneficium illud sine iusto titulo invadere, neque abbatem S. Arnulphi Metensis potuisse illud de more conferre, postquam a multo iam tempore, rege catholico ita instanter postulante, a pontifice maximo in usum societatis Iesu eius collatio reservata fuisset, addita clausula, quae omnem alterius cuiuscunque collationem irritam faceret. Fructus igitur omnes a Richerio a tempore vacationis perceptos restitui ad eum quem pontifex maximus designasset finem curarent. Acceptis hisce mandatis Luxemburgenses confestim Henrico Barbansonio, toparchae Willemontio,<sup>1)</sup> Chiniensi tunc praeposito, imperant ut ea quae concilii privati litteris continebantur, nimirum quae modo diximus executioni mandet: domum prioratus Chiniensis ingrediatur, suppellectilem omnem in tabulas referri curet

<sup>1)</sup> Henri de Barbanson, fils de Baudouin et de Jeanne de Boulant, seigneur de Villémont, Montjardin, Genefve, etc., prévôt de Chiny, voulé d'Aywaille et de Remouchamps. Tandel, *Communes luxembourgeoises*, III, 343.

eamque in suam potestate in accipiat; pro fructuum ac decimarum a Richerio perceptorum aut alienatorum solutione quidquid in domo illa commeatus reperiretur atque etiam omne aes alienum apprehenderet, census vero ac redditus omnes elocaret. Quae omnia ut efficacius nomine regiae maiestatis perficerentur, additus est illi publicus apparitor quem ostiarium vocant, Valerandus Warnachius,<sup>1)</sup> qui auctoritate regia qua opus foret denuntiaret iuberetque, cui etiam separatis litteris imperatum, ut cum ea, quae Willemontius vellet, exequeretur, tum prioratus detentori nomine regiae maiestatis praeciperet, ut illico a beneficio illius usurpatione facesseret; curiae vero Chiniensi aliisque omnibus quorum intererat, ut eum deinceps priorem non agnoscerent, sed Willemontio eiusque vicario in omnibus parent. Varnachius cum illis mandatis Willemontium adit qui, cum negotiis alii necessariis se impediri diceret, quominus iussis concilii intendere posset, Fangium vicarium suum cum eodem Varnachio Chiniacum ablegat. Hi duo 13. iulii Richerio mandata utriusque concilii, tum privati, tum Luxemburgensis, coram idoneis testibus praelegunt et exponunt; tum nomine regis ipsi imperat Varnachius ut prioratu illo excedat, incolis vero ut eum pro priore non agnoscant, sed Villemontio eiusque vicario nomine regiae maiestatis decerentibus obtemperent. Richerius ad haec non satis de illa reservatione a S. Sede in societatis Iesu favorem facta constare sibi respondit, se neque excellen-  
tissimi gubernatoris iniussu neque sine abbatis sui consensu e domo illa excessurum, nisi se vi inde disturbarent; se triennio iam beneficium illud bona fide et cum titulo possedisse, in quem finem litteras tam suae collationis quam praedecessoris sui exhibuit, addens se eodein modo quo a 502 annis consuetum fuerat beneficium illud adeptum, se 10 aut 12 dierum dilatationem petere, ut abbatem suum de iis quae geregabantur instruere posset; interim exemplaria commissionum suorum darent. Cui Varnachius se quod aequum foret facturum addixit, simul ut domum aperiret et supellectilem in tabulis referri simeret mandavit. Verum ille ut domum ingrederentur et omnia lustrarent

<sup>1)</sup> Valérien Warnach figure comme huissier extraordinaire du conseil de Luxembourg de 1587 à 1603 (d'après une note communiquée par Mr le professeur Dr Nic. van Werveke).

aegre tandem consensit; omnium vero rerum descriptionem nequaquam concedere voluit, res illas suas esse dictitans, se Metis eas magna ex parte adduxisse, praedecessoris vero sui omnia ab abbate defuncti amicis distributa. Et cum pertinacius Richerius huic suae sententiae insisteret, Fangius Villemontii hac super re concilium audire voluit, eoque intellecto rediit cum eodem quaestore 14. iulii, iteratisque mandatis Richerius iussus est permittere res omnes in domo contentas in tabulas referri, quod tandem ille licet invitus permisit. Degrassis dein Fangio et quaestore, Varnachius convocatis omnibus e pagis vicinis decimarum conductoribus praecepit ne quid deinceps Richerio solverent, sed in omnibus Willemontio eiusque vicario parerent; tum vero palam denuntiavit ut, si quis redditus omnes et fructus totius prioratus certo pretio annuo redimere vellet et prioratus tam in temporalibus quam in spiritualibus administrationem in se suscipere, is Willemontio aut eius vicario certo die se sisteret. Quibus omnibus peractis relictoque apud Richerium mandati sui exemplari, Warnachius abiit et omnia scripto ad concilium Luxemburgense retulit de more. Richerius hoc pacto omni iure et fructu prioratus istius privatus tum per se tum per Desiderium Tossanum S. Arnulphi abbatem Willemontium precatur ut saltem aliquam decimarum partem pro sustentatione percipere posset. Mox eundem Willemontium pastores, quibus certum annum stipendum a priore debebatur, pro solutione sollicitant. Occurrabant ad hoc tempa plura restauranda, itemque decimae a conductoribus recipienda et fruges alicubi reponendae, de quibus omnibus ad concilium Luxemburgense Willemontius per litteras refert, sed hoc anno nullam resolutionem obtinere potest.

Anno 1590 iudex et magistratus civitatis Luxemburgensis, quod negotium fundationis collegii societatis Iesu diurniores moras habere animadverteret, per libellum supplicem a concilio Luxemburgensi petit, ut ex iis redditibus, quos ex prioratibus Unseldingano et Vallensi quotannis percipiebat Wiltzius, bona pars assignaretur ad sustentandos didascalos, qui iuventutem instruerent, dum illud toties exoptatum collegium Societatis Iesu stabiliri posset; deesse solum census, quibus illi sustentari queant; expedire ut praedicta ratione ex prioratum illorum fructibus,

de quibus Patres societatis nullam recipiebant partem, futuris didascalis prospiciatur. Ita iuuentutem magis reipublicae bono et conservandam in sua integritate fore et aptiorem, ubi Patres advenissent, ad illorum doctrinam suscipiendam. Concilium de tota re, prout petebatur, Mansfeldium, qui Bruxellis degebat, instruit et ab eo petit ut rationes a magistratu propositas et allatas dignaretur perpendere et rei tam utili prospicere: verum nihil, quod quidem sciri potuit, in hac parte praestitum est.

Ad prioratus porro quod attinet, hoc anno mandatum est a concilio regio privato ut Fabius et Wilhemius rationibus Wiltzii audiendis intenderent, simul Bruxellas perscriberent, quantum pecuniae omnibus conclusis reliquum foret, ut de eo, auctoritate regia, ad eum quem pontifex maximus usum intendebat, disponi posset; ad haec Luxemburgense concilium deinceps de frugum venditione opportuno tempore et necessitate exigente decerneret, prout iudicaret ad bonum publicum expedire. Quod et praestitum est et Wiltzio a dicto concilio Luxemburgensi imperatum, ut fruges quas receperisset venderet, quatenus ad subsidiorum taxam solvendam opus foret, quod ipsum etiam Villemontio pro Chiniensibus fructibus est imperatum. Sed Villemontius a cura illa et administratione prioratus Chiniensis, utpote dignitati sua parum congrua, non semel liberari petiti: occurrebat multa difficilia et intricata. Richerius adhuc domum prioratus obtinebat, fructus hic inde a redemptoribus decimarum subinde arte aliqua extorquebat, ad restituendos vero pridem perceptos adigi non poterat, quod et voluntas et facultas ei decessent, cum non sine aeris alieni quotidiano augmento vivere posset; ad fruges vero quas decimarum et censum collectores solvere parabant collocandas granaria deerant; a nonnullis etiam conductoribus, qui Richerio solverant, nihil obtineri poterat. Haec Villemontius omnia concilio Luxemburgensi exposuit, a quo hoc responsi habuit, administrationem illam usque ad S. Ioannis Baptiste proximam solemnitatem obiret, tunc de successore se prospecturos; fruges omnes reliquas auctione publica venales exponeret, quandoquidem ille nec in domo Chiniensi, neque in monasterio Aureae Vallis, quemadmodum deliberatum fuerat, reponi poterant. Richerium vero, qui superiore anno domo excedere iussus parere detrectarat,

iterum iuberet inde facessere; si recusaret, educi e loco curaret, in quem finem Varnachio apparitori iterum per litteras expressas iniunctum ut cum Villemontio eiusve vicario ad Richerium se conferret et abire recusantem etiam vi, si opus foret, e prioratu expelleret. Quod tandem factum. Richerius, cum sponte abire domo illa nollet, a Varnachio eductus inde est, supellex deinde illius omnis ab eodem apparitore apprehensa, ut ex illius venditione ex parte saltem pretium fructuum a Richerio iniuste perceptorum recuperari posset. Ii vero qui fruges Richerio solverant, neglecta prohibitione superiore anno facta, ad secundam solutionem regio administratori faciendam adacti sunt. Divino officio de more in illo prioratu celebrando sacerdos quidam idoneus certa mercede assignatus est. Denique sub finem anni, ut Villemontius, quod pridem instanter petierat, administratione illa liberaretur, Dominicus Wentschius, Villemontii quaestor (ut qui deinde ordinem S. Francisci ingressus plura in illo et praecipua officia praecclare gessit) concilii iussu omnem illius prioratus quoad reditus et census curam et quaesturam suscepit, denominatoque fideiussore, qui indemnitatibus beneficii illius et concilii Luxemburgensis caveret, diplomate ab eodem concilio Luxemburgensi in amplissima forma expedito integrum administrationem cum plena potestate exorsus est. Verum nonnisi paucis mensibus Dominicus beneficium illud habuit; nam mox anno 1591, ipso veris exordio, concilio privato Richerius se sistit et operam suam ad prioratum illum in spiritualibus et temporalibus, ut loquuntur, administrandum offert. Concilium oblationem illam grataanter admittit, quippe cum iam ab initio hoc avide desiderasset, et tandem his conditionibus cum eo convenit: Richerius prioratum illum in omnibus regeret, fructus omnes perciperet, etiam illos qui iam a duobus annis, auctoritate regia, a concilio Luxemburgensi fuissent apprehensi, pro iis tamen semel 600 florenos brabanticos penderet, cum sequentibus ad quos pontifex maximus et rex catholicus illos destinarat usus impendendos: sarta tecta tum domus prioralis tum ecclesiastiarum parochialium earumque ornamenta de more servaret, omniaque onera consueta, praeterquam subsidia regi concessa praestaret et pro harum conditionum securitate fideiussorem idoneum assignaret. Quibus Bruxellis pertractatis, litterae ad

concilium Luxemburgense regis nomine expediuntur et illi imperatur ut Richerium naturalem suum subditum ad administrationem praedictam iis conditionibus admittat: contractum admodiationis, ut vocant, per Chiniensem praepositum coram publicis personis celebrari curet, fideiussorem per eundem recipi, omniaque prioratus iura ipsi tradi rationesque praecedentium annorum coram commissariis quos iudicarent idoneos reddi. Atque haec omnia ita curari iubebantur, nisi alia ratione maius collegii futuri commodum putarent procurari posse. Concilium Luxemburgense his allatis litteris Villemontio illico mandat ut iussui regis in omnibus capitibus supradictis satisfaciat. Ille Chiniacum se confert, ubi 25 aprilis eiusdem anni 1591 iis conditionibus quas rex praescripserat cum Richerio paciscitur, idque coram Fangio, Lanchettio<sup>1)</sup> et Prouvio<sup>2)</sup> viris nobilibus. Fideiussit porro pro Richerio coram iisdem Henricus Dorchfangius<sup>3)</sup>, itidem vir nobilis, Tintiniaci<sup>4)</sup> habitans, omniaque pacta solemniter hinc inde facta et in tabulas relata ad concilium Luxemburgense transmissa sunt, quod eadem porro ad privatum Bruxellas destinavit, cui insuper per litteras significavit, se Fabium et Wilthemium pridem auctoritate regia ad rationes Useldinganas et Vallenses excipiendo commissos etiam rationibus Chiniacensibus praefecisse iisque auditis se cognituros, an alia aliqua ratione major collegii futuri utilitas procurari possit et de eo tunc regi responsuros. Responsum porro illud ad annum 1593 dilatum est, tunc demum rationibus praedictis auditis et conclusis rescripserunt, se, omnibus examinatis, attentis etiam oneribus istius prioratus, putare se quod Richerius quingentos annuos florenos regi ex vi illius admo-

<sup>1)</sup> Baudouin de Lanchette, seigneur de Harnoncourt lez Virton. Voy. *Tandel, Communes luxembourgeoises, II, 433.*

<sup>2)</sup> Ungeschück, dans son Dictionnaire héraldique manuscrit, fait mention d'une famille de Prouvy. La localité dont elle tira son nom est une annexe de la paroisse de Jamoigne (Luxembourg belge, arrond. de Virton). On y voit encore une vieille maison qui fut habitée par la famille de Prouvy pendant plus de 1100 ans. Voy. *Tandel, op. cit. III, 1008.*

<sup>3)</sup> Henri d'Orsinaing ou d'Orchinfaing, seigneur d'Aigremont. Un membre de la même famille, Albert d'Orsinaing, entra vers cette époque dans la Compagnie de Jésus. Il en sortit plus tard tout en restant bon prêtre. Voy. *Tandel, op. cit. III, 847 et ss.; VI, 145 et ss.*

<sup>4)</sup> Tintigny, prov. de Luxembourg, à une lieue d'Etalle et quatre lieues de Neufchâteau.

diationis pendere possit et praeter illos nihilominus ipsi pro sua sustentatione et oneribus prioratus tolerandis 500 alias florenos aut etiam amplius superfuturos, eum in finem se ipsas rationes Bruxellas mittere. Wiltzio eodem anno 1591 a Luxemburgensi concilio mandatum mense aprilii ut fruges omnes Useldingani et Wallensis prioratus auctione publica more vicinorum quaestorum venderet.

Neque aliud hoc anno gestum comperi. Neque etiam sequentibus annis 1592, 1593, aliud pro collegii et seminarii erectione memorabile gestum est, nisi, quod cum anno 1593 concilium Luxemburgense Richerium ad solvendum annum censem urgeret, is se Patribus Antverpianis a concilio privato iussum pendere 1000 florenos respondit et proinde solutionem hoc pacto declinavit. Institit nihilominus concilium Luxemburgense apud privatum regium, ut, quandoquidem prioratus praedicti ad collegii fundationem destinati essent neque tamen res progressum consequeretur, saltem pars aliqua reddituum illorum didascalo civitatis Luxemburgensis, qui aegre se sustentabat, assignaretur, ut iuventus hoc pacto instrui et in officio melius contineri posset. Verum nihil huic postulationi, quemadmodum etiam annis superioribus factum fuerat, concessum est, sed maius operae pretium visum, si PP. Soc. postliminio restituerentur, quod sequente demum anno uti dicetur factum est.



### LIBER TERTIUS.

1594. Eversa momento societatis missio in civitate Luxemburgensi anno 1586 nonnisi octo annorum consequentium labore restitui potuit. Nimirum destruere res quam restaurare longe est facilius. Omnem lapidem moverat, omnes machinas adhibuerat Houstius, ut prostratam hanc molem erigeret: multa et gravia contra obiecta erant obstacula. Pauci equidem in senatu Luxemburgensi erant, qui rem illam serio promotam vellent: pecuniae ad domum coemendam deerant, gaudebant etiam e proceribus nonnulli eas deesse, si non et agebant clanculum ut deessent, dum interea palam alia omnia simularent; inhaerebant etiam tum in animo Mansfeldii veteris exulcerationis vestigia,

neque tamen sine illo, quod plurimum apud omnes valeret, res promoveri poterat. Quibus omnibus accessit importuna mors Parmensis anno 1592<sup>1)</sup>, qui unus pro summo suo religionis promovendae et conservandae studio rem hanc maximopere cordi habebat. Qui casus etiam hoc molestior est visus, quod Mansfeldius<sup>2)</sup> post illum ad totius Belgii gubernacula mox fuerat admotus. Verum enimvero, unde damnum et periculum timebatur, inde postmodum societas sensit auxilium, sapientissima numinis providentia adversus mali daemonis conatus et artes vigilante. Nam cum anno 1594 seren<sup>mi</sup> archidux Ernestus ad Belgicarum provinciarum regimen a Philippo II rege catholico submissus esset, et is singulari benevolentia societatem complecteretur, Houstio aliisque societatis amicis facile fuit hoc negotium tantopere expeditum conficere. Quin et Mansfeldius ipse contra spem multorum causae illi propensius coepit favere, ad quod illum tum seren<sup>mi</sup> archiducis cognita voluntas, tum filii ex<sup>mi</sup> Caroli comitis Mansfeldii (qui non mediocri benevolentia societatem prosequebatur) adhortatio vehementer impulerat. Id temporis ille Bruxellis aderat et sive a Patribus sive ab Houstio aliisque amicis ad negotium missionis Luxemburgensis promovendum concitatabantur, Houstii igitur et praesertim senioris Mansfeldii iterata postulatione Ernestus decrevit, patres Luxemburgum mittendos et id a Georgio Durassio<sup>3)</sup> recens declarato provinciali praeposito postulavit. Patres vero principio dubios et perplexos habuit ea quaestio, Belgicaene provinciae an

<sup>1)</sup> Le duc de Parme venait de forcer Henri IV à lever le siège de Rouen. A son retour il fut blessé au bras devant Caudebec. Il mourut le 2 décembre 1592 dans Arras, à l'âge de 47 ans, des suites de cette blessure qu'il avait trop négligée. Il emporta dans la tombe l'estime de son plus redoutable adversaire, Henri IV.

<sup>2)</sup> Le lendemain de la mort du duc de Parme, le comte de Fuentes réunit le Grand-Conseil qui appela le comte de Mansfeld aux fonctions de gouverneur-général des Pays-Bas. Mais l'âge lui avait ôté l'activité nécessaire; il ne put ni prévenir ni empêcher les excès auxquels se livraient les soldats espagnols et il fut remplacé en 1594 par l'archiduc Ernest.

<sup>3)</sup> Georges Duras, né à Liège en 1548, entra dans la Société de Jésus en 1567, à Louvain, après avoir terminé ses humanités. Il étudia la philosophie pendant deux années et demie et la théologie pendant quatre ans. Il enseigna successivement les humanités, la physique et les cas de conscience. Prêtre en 1575, admis à prononcer les quatres voeux solennels en 1590, il fut placé à la tête de la province de Belgique, après avoir été pendant quelques années recteur du collège d'Anvers. Assistant du général pour la province d'Allemagne de 1595 à 1607, il mourut à Rome, le 18 novembre 1607.

rhenanae potius collegium illud quod designabatur annumerandum videretur: provincialem inquam et Oliverium Manareum qui, officio visitatoris et provincialis recenter perfunctus, omnia adhuc consiliis sapientissimis dirigebat. Occurrebat rationum hinc inde momenta non contemnda rhenanae provinciae iungendum: suadebat linguae germanicae usus Luxemburgi, cui Belgae non posse satisfacere credebantur; unde enim e Belgio homines depromerentur, qui in cathedris, templis, scholis, domi forisque cum populo germanice agerent. Econtra vero pro Belgica provincia faciebat quod ducatus Luxemburgensis tribunalibus Belgicis subesset, coram quibus cum ratione praediorum collegio addictorum saepe foret agendum, videbantur sibi maiorem fidem et gratiam apud proceres polliceri posse Patres Belgae quam exteri. Ob has aliasque rationes Oliverius praesertim consilii anceps haerere est visus, subinde etiam ad rhenanam provinciam fuit propensior, accidente potissimum R<sup>di</sup> Illust<sup>mi</sup> Domini Ioannis Brandenburgici, de quo supra meminimus, consilio, qui magis rhenanam provinciam probabat, cuius viri, cum maxima constarent in societatem beneficia, etiam consilia esse sincera et salubria credebantur. Interea dum ea res Claudii generalis arbitrio decideretur, placuit mittere tres e Belgio PP. qui prioratus collegio unitos obirent et manucaperent, locum idoneum collegio extruendo designarent, populum consuetis societatis exercitationibus ad meliora dirigere inciperent. Qui prioratus nomine societatis occuparet, facultate per litteras apostolicas concessa, missus est P. Bernardus Oliverius,<sup>1)</sup> Durassii provincialis socius, cui adiunctus est P. Henricus Samerius<sup>2)</sup> e

<sup>1)</sup> Le Père Bernard Olivier est le second Jésuite de ce nom. Né en 1546, il entra dans la Compagnie de Jésus au mois de juin 1560 avec son père, qui venait de perdre sa femme, et deux de ses frères. Il devint plus tard provincial des Pays-Bas. Son oncle, qui portait également le nom de Père Bernard Olivier, mourut de la peste à Tournay en 1556. "Après son décès, dit le R. P. Pierre d'Oultreman, on recent lettres de St. Ignace par lesquelles il le déclarait provincial des Pays-Bas." *Op. cit. 108.*

<sup>2)</sup> Henricus Samerius ou Henri de Samrée, prit son nom du village de Samrée près de Marche, où il naquit en 1540. Il fut confesseur de l'infortunée Marie-Stuart, puis missionnaire zélé dans sa patrie. Il mourut à Luxembourg, le 6 janvier 1610, à l'âge de soixante-dix ans et fut inhumé dans le choeur de l'église St. Nicolas. Il était très versé dans l'histoire ecclésiastique et surtout dans la chronologie. On a de lui: *Chronologia sacra ab orbe condito ad Christum natum. Anvers, 1608, in-fol.* Il y relève une infinité de fautes échappées à différents auteurs. *Neyen, Biogra-*

Luxemburgensi ditione oriundus. P. Theodorus vero Becanus<sup>1)</sup> in Campinia natus concionibus, catechismis aliisque pii exercitiis habendis est assignatus. Tribus hisce dat litteras Ernestus Bruxellis 8 augusti eiusdem anni 1594, quibus concilio Luxemburgensi significat decretam designatamque a provinciali praeposito missionem in civitate Luxemburgensi pro collegii ibidem erigendi exordio, idque Mansfeldum pro sua in Deum religione postulasse, se proinde suis partibus in tam pii operis promotione deesse nequaquam voluisse; adeoque se petere ab iis atque etiam nomine regis imperare ut quantum fas foret tum missioni illi, tum collegii erectioni auxilium opemque paeberent, darent operam ut PP. e fructibus prioratum pridem ad hunc usum designatorum alerentur, caeteraque quae ad institutum ipsorum requirebantur absque mora aut tergiversatione paeberent. Durassius vero Bernardum Oliverium diplomate seu litteris ut vocant patentibus 7<sup>a</sup> augusti manu sua signatis et sigillo officii sui munitis commissarium constituit ad prioratus Gregorii XIII et Sixti V. P. M. et regis catholici auctoritate collegio erigendo unitos, incorporatos, lustrandos, perpendendos praediaque eorum et appendices consideranda; tum deinde ad possessionem eorum, qui praedicto collegio apti et necessarii forent, et quatenus per litteras apost. pontificias licebat aedundam, denique ad fundum idoneum in civitate Luxemburgensi collegio exstremo designandum. Horum enim faciendorum omnium potestas per litteras pontificias provinciali Belgii vel ei quem sibi substituisset de societate amplissima dabatur. Ubi nequaquam concutiente oculo pertransendum est, quod, cum Durassius potestatem occupandi prioratus daret Bernardo, de collegio duntaxat illi cura fuerit et pro huius solummodo

*phie luxembourgeoise, II, 105. de Feller, Biographie universelle, XI, 257. Neumann, les Auteurs luxembourgeois, Programme de l'athénée de Luxembourg, 1856, p. 13. Note communiquée par le R. P. van Meurs.*

<sup>1)</sup> Becanus, Théodore-Othon, prit probablement son nom du village de Beek (Brabant septentrional), où il naquit en 1555. Il entra dans la Compagnie de Jésus en 1571. Après avoir enseigné successivement la poésie, la rhétorique et la philosophie, il reçut de ses supérieurs la mission d'organiser le collège de Luxembourg dont il fut le premier recteur. Le Commentarius nous dit le rare mérite de ce prêtre, administrateur aussi habile qu'éloquent prédateur, digne en tout point de la respectueuse admiration qu'inspirèrent aux Luxembourgeois la supériorité de son esprit et le zèle ardent de son âme sacerdotale.

dotatione, quae necessaria forent praedia manucapere iusserit, neque tamen nescius erat geminas a pontifice maximo bullas emanasse, alteram pro collegio, pro seminario alteram, et huic quoque certam pecuniam annuam a prioratibus Luxemburgen-sibus assignatam. Verum sapienter vidit, quod, uti libro secundo dixi, etiam alii iudicarunt, utramque collegii et seminarii causam nequaquam simul agendam, sed quemadmodum litterae pontificiae praescribebant, primum et ante omnia collegio societatis prospiciendum, seminarii cura posteris reicta, quibus, erecto semel et stabilito collegio, illius etiam constituendi ratio non esset defutura. Datae insuper patribus Luxemburgum ade-untibus aliae ad Brandenburgicum litterae, quibus tam Durassius quam Oliverius impense novos hospites commendabat, non sine magna gratiarum actione quod per tot annos absente societate liberalem se adeo in excipiendis quibusvis peregrinis ordinis nostri exhibuisset. Rogabant etiam ut consilio suo tenellam et recentem hanc familiam curare et dirigere dignaretur. Treviris quoque adventurum P. Ioannem Macheruntinum<sup>1)</sup> sperabant, virum doctum aequem ac carum Luxemburgensibus, qui domui praesertim in spiritualibus praeesset.

Luxemburgum tandem 14. augusti, pridie assumptionis Beatae Virginis, Patres salvi attigerunt: quanto enim gaudio, charitate et munificentia a Brandenburgico fuerint excepti, cogitari potius quam exprimi poterit; per plures etiam dies illos domi suae detinuit, magnae gloriae loco dicens, quod ibi collegii futuri semina quaedam et exordia detineret. Postridie, ipso Beatae Virginis assumptae festo, Becanus in S. Nicolai parochia ad populum e cathedra verba fecit, magno omnium applausu, omnium gudio, multorum etiam lacrymis, qui post tot annorum absentiam societa-

---

<sup>1)</sup> Macheruntinus ou Jean de Macheren, ainsi appelé parce qu'il était originaire de Grevenmacher dans le duché de Luxembourg, naquit vers 1540 et fut admis au noviciat des Jésuites à Trèves le 8 mars 1567. Il enseigna successivement les humanités, la philosophie et la théologie. Le Père François Coster l'envoya combattre le protestantisme à Aix-la-Chapelle en 1578, à la requête du chapitre royal de Notre-Dame qui demandait un prédicateur zélé. Lorsque les hérétiques se furent rendus maîtres de la ville, il se rendit à Trèves, où il mourut le 7 janvier 1610. „Tout Trèves voulut assister à son enterrement, et donner à sa mémoire les marques de vénération qu'on a coutume de donner aux saints.“ Voy. Paquot, *Mémoires pour servir à l'histoire littéraire des dix-sept provinces des Pays-Bas*, XII, 388, et Reiffenberg, *Historia S. J. ad Rhen. Inf.*, 187, 188.

tis Patres tantis desideriis exoptatos videbant tandem et post-liminio reversos iterum coram audiebant. Et vero felix illud initium fuisse eventus comprobavit, quando iam (dum haec scribebam) ultra quadraginta annos sine interruptione societas cathedram illam non minore inculpatae vitae eoque perpetuo exemplo quam populi fructu possidet. Pro reliquis vero Patrum muneribus exercendis, sacrificiis nimirum celebrandis, poenitentiae et eucharistiae sacramentis administrandis, quod tempulum societati idoneum deesseset, dicta parochialis S. Nicolai ecclesia pastore non invito serviebat. Solemnitate illa peracta salutatisque passim mandato Durassii et Oliverii amicis, Bernardus litteras ser<sup>m</sup>i Ernesti atque etiam diploma provincialis senatus Luxemburgensi exhibet, petitque ut ipsius non modo concessione sive, ut vocat, placeto, verum etiam mandato et auctoritate adiecta ex pontificis maximi et regis auctoritate et voluntate liceat prioratus collegio assignatos adire et deinceps possidere. Senatus diploma in amplissima forma 19<sup>a</sup> eiusdem mensis augusti expedit quo in hunc ferme modum et sensum edicit et exponit, provincialem Flandriae Soc. Iesu, regis catholici postulatione, missionem quorundam patrum ad civitatem Luxemburgensem instituisse ad collegium ibidem inchoandum et cum tempore erigendum, prout litterae apostolicae regi catholico concessae a SS. Domino continebant, sibi vero a seren<sup>mo</sup> archiduce nomine suae maiestatis serio mandatum, ut non modo iisdem Patribus quantum fieri posset consilio et auxilio in sua missione et collegii erectione faverent, verum etiam prospicerent, ut e prioratibus iam tum unitis et incorporatis Patres illuc destinati alerentur; quapropter praesentium tenore iubere et mandare suae maiestatis nomine, ut omnes dictorum prioratum incorporatorum et in bullis apostolicis denominatorum praefecti, rectores et subditi, itemque villici et censuarii ad harum conspectum eorumdem prioratum possessionem Bernardo Oliverio, eiusdem societatis presbytero, procuratori ad hoc specialiter delegato, cedant et tradant, omnibusque fructibus, censibus, redditibus ex iisdem prioratibus provenientibus sine ullo obstaculo, tergiversatione aut impedimento frui sinant et gaudere. Ita velle pontificem maximum et catholicum regem.

Dum litterae illae expediuntur a senatu, dispiciunt Patres ubinam in civitate domicilium habere possint; domus enim illa Soeterana tanto ambitu et sollicitatione alias petita necdum coëmta erat; proinde necesse habuerunt conducere domunculam sitam in angusta quadam platea aquarum dicta, ubi Becanus primum degere coepit cum duobus sociis, mox e Belgio submissis Iacobo Soiron<sup>1)</sup> et Ioanne Strabant<sup>2)</sup>, qui domesticis ministeriis serviebant, dum publicis et spiritualibus Becanus intenderet. Quamvis vero non exigua domus illius incommoda nostros turbarent et eam ob rem Ernestus archidux serias tam ad Mansfeldium et concilium quam ad magistratum civium litteras dedisset, quibus eos adhortabatur, ut pro reipublicae et religionis bono atque etiam pro honore suae civitatis Patribus de domo decentiore et commodiore prospicerent et in hac re cives privatum suum communi bono posthaberent, nihil tamen actum est, sed Patres iterum ac tertio sedes mutare per aliquot annos coacti sunt, donec, ut postea dicetur, post quadriennium fere domum propriam coeperunt incolere. Ita nimirum amat divini numinis providentia incertis et fluctuantibus principiis res duraturas stabilire, non sine eorum qui talibus intersunt molestia.

Instructus concilii regii litteris Bernardus Oliverius cum Samerio ad prioratus visendos et possidendos proficiscitur, Becanum cum sociis Luxemburgi relinquit. Petrum Wiltzium, Arlunensem parochum, secum assumit et Chiniacum recta contendit. Prioratus illic in arce constructus variis redditibus a comite Arnulpho ante aliquot secula dotatus, uti libro 2º diximus, iam a 6 annis ab obitu scilicet Claudii Goulleti, ultimi legitimi possessoris et prioris, nomine regis catholici detinebatur et administrabatur, et quidem eo tempore etiam tum illi praeparat ex concilii sanctioris Bruxellensis concessione Hubertus Richerius e monasterio S. Arnulphi Metensis monachus. Coram illo et Claudio, parocho in Orgeo<sup>3)</sup>, Balduino Fangio, vice-prae-

<sup>1)</sup> Jacques Soiron, coadjuteur temporel, naquit à Liège le 18 décembre 1549 et fut admis dans la Compagnie de Jésus au mois de juin 1574. Il mourut à Bruges en 1603.

<sup>2)</sup> Jean Strabant, coadjuteur temporel, né à Bruges le 8 février 1564, fut admis dans la Compagnie de Jésus le 18 août 1589. Il mourut à Luxembourg le 10 août 1619.

<sup>3)</sup> Orgeo, village de la province de Luxembourg, à deux lieues de Neufchâteau,

posito Chiniacensi, aliisque de magistratu quos iuratos vocant, Wiltzius auctoritate quam illi bulla apostolica Sixti V et processus a R<sup>mo</sup> episcopo Middelburgensi desuper fulminatus dabant, accedente etiam regis catholici, uti e praedictis litteris concilii Luxemburgensis apparet, consensu et mandatis, Bernardum Oliverium, societatis Iesu et provincialis Belgici procuratorem et mandatorum, in realem et actualem prioratus supradicti omniumque reddituum possessionem induxit 29<sup>a</sup> augusti eiusdem anni 1594. Neque Oliverius sat habuit semel auctoritate apostolica per Wiltzium in possessionem, uti dictum est, immitti, verum postridie coram vice-praeposito et magistratu loci similem actum possessoriū solemniter peregit eiusque rei documentum a scriba publicum accepit. Cui apprehensioni possessionis nemo quisquam contradixit aut se opposuit, ne ipse quidem Richerius praeiens, qui Patres benigne habuit et in domum introductos etiam mensae suae assidere iussos prandio refecit. Non mansit tamen idem postmodum animus; nam, uti postea dicetur, multis pro hoc prioratu litigationibus per plures annos concertandum fuit. Inde eadem die 30 augusti a prandio ad prioratum Vallis Monachorum itum est, in quem Wiltzius Oliverium quoque mox introduxit atque, ut maiore cum pondere et solemnitate res perageretur, neque solum pontificia, sed regia etiam auctoritate possessio illa firmaretur, rogatus fuit Andreas Sapponius, praepositus Ivodiensis, ut secundum concilii regii mandatum suam praesentiam actui illi praestaret, qui, cum ob impedimenta necessaria coram adesse nequiret, mandavit Iacobo Lorino scabino et Ioanini de Ronda prographaeo Ivodiensi ut suo loco assisterent; coram quibus et duobus parochis Martino Guidone in Schavanceo S<sup>ti</sup> Huberti<sup>1)</sup> et Paschasio in Signy et Monteliberto<sup>2)</sup>, testibus ad hoc requisitis, patres prioratus illius omniumque iurium et fructuum ab illo dependentium possessionem acceperunt prima die septembris 1594, nemine vel tunc vel etiam subsequentibus minimum reclamante aut sese opponente. Ut res ea tam facile perageretur, faciebat potis-

<sup>1)</sup> Chauvancy-Saint-Hubert. Voy. Tandel, *op. cit.* III, 7. Le Père Goffinet S. J. (*Notice sur l'ancien château et la seigneurie de Mirwart*, p. 7) explique l'origine de ce nom. Voy. *Annales de l'Institut archéologique du Luxembourg*, T. XVII, 3<sup>te</sup> fascicule.

<sup>2)</sup> Signy-Montlibert (Ardennes). Voy. Tandel, *op. cit.* III, 1262.

simum regia auctoritas cuius mandato iam inde ab anno 1586 prioratus ille per dictum Wiltzium tenebatur et administrabatur ad eum finem et usum quem pontifex maximus concesserat, uti saepius iam supra dictum est. Accedebat distantia monasterii, unde dependebat, nimurum S. Audoeni Rhotomagensis<sup>1)</sup> O. S. Benedicti cuius abbatiam card. Borbonius et dein cardinalis Lotharingus in commendam, ut loquuntur, a S. Sede acceperant. Unde porro ille prioratus originem habuerit primam, difficile est dicere. Constat olim illustria habuisse iura et supremam quoque iurisdictionem, quae superioribus saeculis non perinde atque hodie ad supremum provinciae caput reducebatur; ideo comitum Chiniacensium protectio et advocatio fuit a monachis implorata et gratitudinis ergo vicissim concessi illi census et certa terragiorum uti vocantur portio, quam hodie quaestor regius colligit. Quin etiam paulo ante haec tempora praetor et scabini a priore constituebantur, qui iurisdictionem medium et infimam exercent, cuius iurisdictionis reliquiae hodieque servantur manetque domus prioralis plena exemptio atque libertas. Manet eidem quoque ius puniendi eos qui vel in sylva vel in agris istius prioratus delinquunt.

Expeditis iis, quae in comitatu Chiniacensi agenda erant, Wiltzius Patres Unseldingam deduxit, cuius prioratus etiam nomine regis ab anno 1583 quaesturam et curam gesserat. In illius domum Oliverium introduxit, deinde praefectum arcis, quae cum tota toparchia marchionum Badensium erat, rogavit ut solemni possessionis actui interesse vellet. Quod cum ille ob certas causas reformidaret (aiebat enim legatos ducum Bavariae et Lotharingiae tutorum sui dominii Luxemburgi esse eosque consulendos), realem et actualem prioratus sui dicti possessionem Patribus tradidit, idque nemine vel minimum contradicente vel reclamante, 4<sup>a</sup> septembris anni 1594, coram testibus Francisco Adami, parocho Useldingano, et Theodorico Tinctore, artium magistro; aderant quoque de magistratu loci Henricus Fichius et Theodorus Kill, scabinus.

<sup>1)</sup> Saint-Ouen de Rouen. Voy. *Gallia Christiana*, XI. 135 et 154. Le cardinal Charles Ier de Bourbon, archevêque de Rouen, abbé de Saint-Ouen, avait déjà fondé et doté le collège des Jésuites à Rouen. Voy. *Ch. de Robillard de Beaurepaire, Recherches sur l'instruction publique dans le diocèse de Rouen*, II, pp. 42 et 44.

Huius prioratus etiam incerta et obscura sunt initia. Dominam quandam ex Unseldingana familia, quae erat e prima nobilitate ducatus Luxemburgensis (nam marchiones Badenses non ita pridem a Maximiliano I Caesare et Belgii principe toparchiam hanc fisco addictam obtinuerant), pietate insigni motam, portionem suam haereditariam SS<sup>mae</sup> Virginis donasse aiunt, cui SS<sup>mae</sup> Virginis etiam sacellum priorale dicatum exstat et in illo lapis sepulcralis praefatae, ut creditur, dominae. Abbatiae Molismensi O. S. Bened. in ducatu Burgundiae sitae annum fuit praedium, et olim quidem plures religiosos ibi habitasse non obscuris probatur indicis et litteris, unde nomen Monasterii ipsi in haec tempora permanxit. Mansit illi etiam iurisdictio fundiaria pro cuius exercitio praetor et scabini non ita pridem a priore constituebantur; verum postmodum visum est scabinis domini Unseldingani uti solo praetore constituto. Cum vero nimis quam exiguis religiosis illis sustentandis esset proventus, quippe fructus solum in agro pagi Unseldingani et vicinia percipiebant, Theodoricus archiepiscopus Trevirensis anno 1217 parochiam Unseldinganam cum decimis, tum anno 1233 Redinganam prioratu illi univit et incorporavit. Anno vero 1218 episcopus Leodiensis eodem modo ecclesiam Bevinganam ipsi adiecit. Auxit etiam aliquantum redditus illius prioratus societas, acquisitis nonnullis agris et censibus, uti suo loco dicetur<sup>1).</sup>

Supererat postremus, qui potissimum est, prioratus Aquiliensis adeundus, de cuius possessione priusquam narro, operae pretium arbitror de situ, origine, iuribus pauca praemittere. Sita est Aqualia ad Amblaviam fluvium in valle amoena et fertili, inter aspera montium iuga. Ad septentrionem Limburgicam et Leodiensium Francimontanam, ad ortum et occasum Stabulensem, ad meridiem Harsitanam habet ditiones, ita ut a reliquo ducatu Luxemburgico haec terrae portio, cum olim anno 654 Sigebertus Stabulausium monasterium dotaret eique terram ad duodecim leucas circumcirca attribueret, uti graves auctores

1) Archives du Gouvernement, Etat des biens du collège de Luxembourg, 4<sup>e</sup> partie. Prieuré d'Useldange, n° 33. Ce prieuré comprenait les paroisses d'Useldange, de Rédange et de Beuvange. Celle-ci fut annexée plus tard au prieuré d'Aywaille à cause de sa proximité. Voy. aussi Bertholet, *Histoire du Luxembourg et du comté de Chiny*, III, p. 224 et ss.

et in his Hartgerus testantur, servata et retenta fuisse videatur, vel potius sequentibus saeculis, uti alibi factum, consentientibus abbatibus Stabulausis, advocatis principibus Luxemburgensibus concessa. Tametsi vero ecclesiasticae Leodiensium ditioni seu dioceesi Aqualia subiecta est, at nunquam politicae iurisdictioni subiacuisse reperitur, neque vero potuit, cum diu post Stabulausii donationem ipsa Leodiensis civitas a Sto Huberto condita sit, nimirum anno 709. Huc accedit, quod toparchiam Spirimontiam, quam hodie Luxemburgiae ditioni accensemus, qua parte Aqualiam claudit, non dubiis testimoniis etiam olim Stabulausii iuris fuisse constet. Quae duo commemoro ut appareat vanitas commenti eius, quod his annis Leodienses nonnulli proponere sunt ausi et asserere, Aqualiam Leodiensi ditioni subtractam eiusque partem quae praebulum seu poralle dicitur, illi hodieque subesse, quod sine ullo omnino fundamento et iudicio assertum est. Aqualiam circa annum 1080 possidebat Regina, Cononis<sup>1)</sup> comitis Montisacuti filia, e comitibus Luxemburgensibus et Pictavis oriunda. Giselbertus enim Luxemburgensis comes 4 filios procreavit: Conrardum I qui comes Luxemburgensis anno 1086 in profectione Hierosolymitana obiit, Henricum qui sine prole mortuus creditur, Hermannum, comitem Salmensem, imperatorem postmodum contra Henricum IV, et Cononem, cuius frequens est memoria in vetustis monumentis, praesertim ob exstructum templum Huense S. Sepulchri. Huic comitatus Montisacuti<sup>2)</sup> in Arduenna non procul a pago Mercurio<sup>3)</sup> situs obtigit et ex uxore Pictaviensis generis Regina nata est. Quae, Raymundo marito, sive defuncto sive ad recuperandam Hierosolymam et Syriam cum aliis christianis principibus profecto, ideoque consentiente, contemptis rebus omnibus humanis, regi regum Christo quam viro servire maluit. Erat id temporis ob religiosae disciplinae observantiam celebre virginum sacrarum coenobium Marcianacense<sup>4)</sup> in Burgundia in dioecesi Aeduensi seu Augusto-

<sup>1)</sup> Conon, comte de Montaigu, prit une part brillante à la première croisade parmi les compagnons de Godefroi de Bouillon. Il mourut le 30 avril 1106.

<sup>2)</sup> Voy. pour l'histoire du comté de Montaigu en Ardenne, Tandel, Communes luxembourgeoises, V. 517 et ss.

<sup>3)</sup> Marcourt, village de la province de Luxembourg, à trois lieues de Marche, Patrie du P. Evrard Mercurian, quatrième général des Jésuites.

<sup>4)</sup> Marcigny-les-Nonnains, chef-lieu de canton, (Saône et Loire), fait partie de l'évêché d'Autun (Augustodunum).

dunensi situm, quod Hugo Cluniacensis abbas<sup>1)</sup> in fundo suo avito struendum curarat optimisque praeceptis instruxerat. Ad illud Regina animum adiecit et cum, ut ipsa in antiquissimis litteris donationis loquitur, perpendisset, praesentis vitae lenocinia ad hoc unumquemque infelici modo prostituere, ut anima, ad aeternitatem condita, demergatur in tartara ibique luat infinita supplicia, ad hoc sacrum Marciniacense asylum confugit, et suavi iugo Christi cum summa humilitate se subiecit, et ne vacuis manibus coram Deo compareret, donavit dicto monasterio Aqualiam eiusque appendicem Ruptum Campum vulgo Rachamps.<sup>2)</sup> Verba donationis haec habemus: Quamvis est pauxillum, inquit, tamen id ipsum tantillum quod contingit ex capite matris meae maritationis sorte offerendum credo in illa domo, in qua habitare eique militare dispono sub regimine Cluniacensis disciplinae, dono perpetuo, liberaliter ac solemniter Deo omnipotenti, Trino et Uni, cuius nomini dedicatus locus ipse consistit, ad titulum pertinens beatissimi Principis Apostolorum: in coenobio Marcigniacensi praedium mihi competens iure matrimonii ex parte videlicet matris quod in sylva Arduenna territorio (in aliis literis est episcopatus) Leodiensi constitutum in duo bona dividitur, quorum alter *Aqualia*, alter *Rachans* dicitur, qua nimirum pace et integritate, nulla calumnia oblatrante, illud possidebam, cum eadem in ius praedicti monasterii ancillarum Dei totum transfundens atque transcribens, quatenus cum omnibus appendiciis suis terris sylvis aquis pratis molendinis piscariis mansis cunctisque redditibus sive porcorum sive arietum sive agnorum, lini quoque ac lanae, cerae, pecuniae, etc., postremo cum omnibus suis consuetudinibus sive dictis sive subauditis, serviat uterque burgius Marcigniacensi coenobio. In fine additum est: Facta est charta in praesentia probabilium testium et venerabilium personarum et domini Hugonis abbatis, qui praedicti loci fundator exstitit, anno incarn. Dni 1088, Indictione II<sup>a</sup>, regnante

<sup>1)</sup> Hugues (saint), abbé de Cluny, né vers l'an 1024, mort en 1109, était fils de Dalmace, seigneur de Semur et descendant des anciens ducs de Bourgogne. Il se fit une grande réputation de sainteté et se vit recherché par l'empereur Henri III qui le choisit pour parrain de son fils. Il fut canonisé par Calixte II: sa fête est marquée au 29 avril.

<sup>2)</sup> Rachamps, province de Luxembourg, à deux lieues de Bastogne et à sept lieues de Neufchâteau.

in pace solo Iesu Christo domino nostro. Hanc ipsam donationem **Regina** et Raynaldi filius comes Guilelmus approbavit et confirmavit anno Domini 1095 his verbis: Quoniam ego Raynaldus comes a pietate materna cupiens non degenerare, concedo allodium de Aqualia et reliquum totum quod mater mea Cuniza, Cononis filia, quando mundum reliquit, in sua parte sortita secum Deo dedicavit, sit B. Petri Cluniacensis ad titulum pertinens Marcigniacensem ubi velum sumpsit. Ex eo tempore praedium illud cum appendicibus sacrum Deo et S. Petro mansit, neque fundamento caret quod in omnibus antiquis titulis et documentis Aqualiensis ditio vocetur Terra Dei et S. Petri; nempe illam Reginae liberalitatem celebravit antiquitas, quae Deo Trino et Uni et S. Petro, cui locus Marcigniacensis sacer erat, praedium suum donavit. Ex eiusdem donationis tabulis patet, iurisdictionem omnem huic praedio merito semper adhaesisse, quod Regina eodem modo quo illud possidebat transtulit in monasterium, et omnino verius est, non modo altam iurisdictionem quae de capite sententiam fert, sed etiam supremam olim penes priores fuisse, cuius hodieque in remissione criminis homicidii exstant vestigia. Et Reginam habuisse supremam potestatem dubitari non debet. Hodie vero per curiam Aqualiensem iurisdictonem alta exercetur, uti etiam per Ruptocampensem. Eodem pertinet etiam alia curia Remotocampensis trans Ambaviam sita, Aqualiensis inferior, quae de apprehensione reorum, non autem de capite fert sententiam. Mansit porro dictum praedium cum omni iurisdictione in bonis Marcigniacensis coenobii eique integre annexum, et deinde prioratus nomine insignitum a religiosis Cluniacensis ordinis fuit administratum. Posterioribus saeculis ob bella turbasque et distantiam locorum contigit ut monachi aliqui e vicinis monasteriis Stabulausi vel Hubertio prioratus illius collationem subinde ab abbe Cluniacensi, alias a pontifice maximo obtinerent; ultimus, qui eum pacifice possedit, fuit Ludovicus de Celles, monachus O. S. Bened. circa annum 1520. Nam post illum canonici Leodienses S. Lamberti obtinuerunt, nimirum Blocquery, Marcani, Lindenii, sed non sine maximis litibus et concertationibus, quippe cum monachi aequi ac canonici a diversis patronis seu collatoribus collationes obtinuerent et a

variis principibus diversi possessionem occuparent, quae penes potentiores tandem remanebat. Hoc igitur anno 1594 possidebat prioratum vir nobilis canonicus Leodiensis et episcopi vicarius generalis, Theodorus Lindenus, qui multis litigationibus cum competitoribus suis toleratis, quarum aliquae necdum finitac aut decisae erant, auctoritate regis catholici se in illo tuebatur. Cum Patres supradicti Oliverius et Samerius Aqualiam profecti, de via Durbuti, assumpto Quelino le Jeusne graphaeo et scabino, advocateoque e Condrusio parocho S. Severini Ioanne Florbeckano, ad domum prioralem ad possessionem capiendam accesserunt. Praetorem Aqualiensem Erasmus Kenium actui illi interesse volebant. Verum is negavit se posse tanquam praetorem inscio aut invito Lindeno domino suo adesse, tametsi non recusaret testis officio perfungi. Similiter alii cives evocati ad testandum abesse fere plerique omnes malebant. Pulsavit interea portam domus Florbecanus saepius neque iteratis frustra ictibus aliud responsum obtinere potuit quam non posse aperiri sine Lindeni absentis heri licentia. Prodiit nihilominus postmodum qui postico egressus circuiverat Ioannes, Micampius ut ferebatur sacellanus, a quo cum item peteretur ut portam patefaceret et is se cum praetore et magistratu deliberaturum diceret, tandem idem quod ante responsum est, sine heri scitu et assensu aditum neutiquam concedendum. Florbeckanus igitur cum videret frustra suas preces et postulationes esse, Oliverium per portae attactum in realem et actualem prioratus istius possessionem immisit 4 octobris 1594, praesente et rei seriem attestante Quelino le Jeusne supradicto, Ioanne Micampio sacerdote, Erasmo Kenio aliisque pluribus. Quae vero ex hac possessione capta consequata sunt, anno sequenti exponentur.

Est etiam alias prioratus bullae apostolicae insertus, Longlierum nomine in comitatu Chiniacensi apud Novocastrum situs, qui reditibus et fructibus cum quovis ex supradictis certare posset, conditus a Godefrido duce Mosellano, filio Gothilonis, sub annum Domini 1055. Huc etiam Oliverius cum Wiltzio prefectus possessionem capit, Servatio Franchimontio administratore ex Florinensi cenobio multum reclamante. Verum societas possessionem istius prioratus pro collegio retinere noluit neque posteritatem causas scire voluit, nisi quod traditione

accepimus abbatem Florinensem, a cuius cenobio hic locus  
hodieque dependet, multa apud ordines Leodienses questum,  
multa minitatum, ac proinde ne quid forte turbarum graviorum  
oriretur, et totum collegii fundandi negotium disturbaretur,  
satius visum est illo prioratu ad tempus carere et potius Aquae-  
liensis possessionem etiam ad multos uti dicitur annos opperiri.  
Ita prioratus ille usque modo manet in potestate abbatis et  
monachorum Florinensium qui eum administrant.

Rebus his omnibus expeditis, Oliverius una cum Samerio  
Bruxellas revertitur ad Durassium provincialem et expeditionis  
suae rerumque gestarum omnium ei seriem exponit. Samerius  
vero mox inde Luxemburgum redit ac prioratibus acquisitis  
partim curandis, partim adversus oppugnantes defendendis  
animum intendit.

Anno 1595 mense iulio missus est a Durassio provinciali  
iussu P. Claudii generalis praepositi P. Andreas Wermadius,<sup>1)</sup>  
qui sociis in recenti illa missione (seu residentia) cum imperio  
praeesset, nam in illam diem, absente plerumque Samerio, qui  
praediorum administratione lustrationeque distrahebatur, Becanus  
omnia domi curabat. Vermadium caeteroquin virum ob modestiam  
et integritatem Oliverius Manareus pro veteri amicitia Brande-  
burgio impense commendabat, cuius favorem et patrocinium  
pro litteris suis, quas hodieque tenemus, tanti se facere ostendebat,  
ut crederet Vermadium sine illius ope impositum onus  
feliciter Luxemburgi non posse obire. Erat enim id temporis  
Brandenburgii Luxemburgi apud summos infimosque summa  
auctoritas, quam illi tum insignis nobilitas et opes, tum prae-  
cipue christiana virtus ac pietas iuncta sacerdotali acquisi-  
verunt. Par quoque illius erat in Societatem benevolentia et  
amor, quem multis iam annis charitate et hospitii liberalitate  
erga omnes illac transeuntes demonstrarat. Eodem anno Durassius  
ipse provincialis Luxemburgum venit et quod officii sui erat  
recens institutam familiam visitavit. Displicuit vehementer Patres  
tam angusta miseraque habitatione sustineri, neque dolorem

<sup>1)</sup> Le Père André Wermadius, né à Arnheim le 28 novembre 1548, entra dans la Société de Jésus le 24 mars 1569, après avoir terminé sa philosophie. Maître ès arts, profès des quatre vœux, il enseigna successivement le grec et la philosophie. Nommé prédicateur à Luxembourg et plus tard à Spire, il mourut dans cette ville le 21 août 1603.

ullum suum apud concilii regii proceres dissimulavit, quibus palam declaravit periculum non modicum esse ne Patres iterum, sicut alias factum fuit, inde avocentur a Claudio generali, si is moneatur de defectu et angustiis habitationis; proinde considerent etiam atque etiam quo remedio malo huic obviari queat. Quodsi (ut credebatur) nihil magis haberent in votis quam ut emeretur aliquis fundus et domus, sicut alias propositum fuerat, et tamen id aegre aut sine tumultu fieri non posset, dispicerent an e regia liberalitate, quae tam multis utilis esse solet, non posset aliquid depromi subsidi; regem habere in civitate domum, ubi bellicae quaedam machinae et commeatus servabantur, illam non difficulter usibus nostris aptari posse. Quibus ita concilio propositis Durassius ad alia provinciae suae collegia regressus est. Proceres vero instituta desuper consultatione ad intimum regis concilium Bruxellas omnia detulerunt, cui simul indicarunt, se quidem omnia impense pro collegii tantopere desiderati provectione velle, sed obstare vehementer summam populi tot bellis exhausti penuriam; non aliud prae manibus esse huic necessitati remedium, quam regis liberalitatem a qua vel domus supradicta vel pecunia donanda foret, ut locus Patrum habitationi aptus obtineri possit: grave utique rei publicae damnum fore, si Patres Luxemburgo iterum avocentur, insignem ab iis operam civitati populoque impendi, cuius luculentus extaret fructus.

Haec porro concilii Luxemburgensis adhortationes effectu non caruerunt, quemadmodum anni sequentes testabuntur. Fructus vero egregius qui in primis ipsis exordiis a Patribus colligebatur potissimum Becano post Deum Opt. Max. debebatur: is enim admirabili qua pollebat gratia omnium mox animos sibi conciliabat, et cum in eo esset egregia virtus et multa prudentia, facile populum per se placidum et adhuc ab haeresi intactum facundia, adhortationibus, cathechesibus ad optimam quaeque induxit. Unde cooperunt illico sacra poenitentiae et eucharistiae sacramenta extra paschae solemnitatis tempora, quod a multis saeculis factum non erat, frequentari, et, quod huic proximum, multiplex in populo mira morum emendatio observari. Inter familias vero, quae in primis illis exordiis Patrum instructiones et interiorem directionem admiserunt, eminebant

potissimum vidua *Dronckmannii* viri clarissimi quondam regi a secretis; uxor Remaclei *Huartii*<sup>1)</sup> consiliarii regii, *Gisletta Boschia* vidua de qua primo libro meminimus, quae in primo ingressu nostros hospitio prima excepérat, tenui quidem re eo tempore, sed magna postea in filio benedictione ditata. Hae piae matronae una cum liberis suis primae sanctissima sacramenta, contemptis populi admirationibus et dicterioribus, frequentare coeperunt, cui exiguo principio Deus sequentibus annis usque in hodiernum diem ingens dedit incrementum. Neque vero in viris piscandis Becanus minus felix fuit. *Mansfeldium* quippe ipsum sensim virtute et moderatione sua societati conciliavit, ita ut iam longe sincerius eius causae faveret. Ad haec Ioannem *Benninckium*,<sup>2)</sup> eo tempore fisci regii procuratorem generalem et postmodum multis annis praesidem et societati magnopere utilem, omnino cum coniuge acquisivit: alios praeterea viros clarissimos et optimos inter quos eminuerunt *Busbachius*,<sup>3)</sup> *Wilhemius*, *Wiltzius*,<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> Remacle d'Huart, né au château de Wanne (pays de Stavelot, d'où Bertels le nomme Staburensis) le 14 juin 1537, embrassa la carrière de la magistrature. Il devint successivement greffier (15 janvier 1572), conseiller de longue robe (15 mai 1585), garde des chartes (15 février 1592) et vice-président du conseil à Luxembourg. Il avait épousé le 20 mars 1578 Barbe Brenner de Nalbach, dame de Berg près de Remich. Il mourut le 28 juillet 1613. *Neyen, Publications de la section historique de l'Institut, X, 112.*

<sup>2)</sup> Jean de Benninck, que *Sweert* dit natif d'Amersfoort près d'Utrecht, tandis que Neyen le croit originaire de Luxembourg, commença par être avocat postulant au Conseil provincial de cette ville. Il fut nommé procureur général le 24 juillet 1593, en remplacement de Gérard van der Aa et conseiller le 20 avril 1594. Attaché en 1596 au grand Conseil de Malines en qualité de conseiller et maître des requêtes, il revint à Luxembourg le 2 janvier 1601 occuper le fauteuil de président du Conseil de cette province, laissé vacant par la mort de Jean de Hattstein. Enfin le 5 mars 1614 il fut encore chargé de la garde des chartres et archives du même conseil. Jean de Benninck mourut le 30 janvier 1632. Sa fille Marie épousa Eustache de Wiltheim. Les coutumes du duché de Luxembourg et du comté de Chimy, homologuées le 8 avril 1623 et publiées la même année en français et en allemand, sont en grande partie son ouvrage. Voy. *Swertia, Athenae belgicae, 395* et *Neyen, op. cit. I, 57.*

<sup>3)</sup> Probablement Christophe de Busbach, fils de Christophe de Busbach et de Marguerite Dronckmann, qui fut nommé conseiller lettré à Luxembourg le 27 juillet 1593. Son frère Georges-Bernard entra dans la Compagnie de Jésus. (*Note communiquée par M. le Dr. Nic. van Werveke*)

<sup>4)</sup> Il s'agit probablement de Melchior Wiltz, dit le docteur Wiltz. Il avait épousé Gertrude Brenner de Nalbach, soeur du jésuite Brenner, qui coopéra à la fondation du collège de Coblenze, dont il fut le premier recteur.

*Ludlingeus,<sup>1)</sup> Strengius<sup>2)</sup>;* nam de *Brandenburgico* nihil attinet dicere, cum iam inde a principio de eius benevolentia testatussumus, cui Becanus tamen ea gratia qua valebat magnum adiecit auctarium, effecitque ut sensim in Patres Belgas animum quem antea rhenanis prorsus ostenderat converteret.

Haec dum pro animorum bono prospere omnino a Becano geruntur, hostis tartarei invidia collegii fundamenta et dotatio oppugnantur. Prioratus quidem Unseldinganus et Vallis Monachorum qui minoris erant census annui societati immoti relinquabantur, verum pro praecipuis illis Chiniacensi et Aqualiensi non parum fuit sudandum.

Chiniaci a Samerio Hubertus Richerius monachus administrator prioratus relictus erat, novo contractu novisque pactis initis, quibus ipsi concedebantur pro stipendio 350 floreni brabantici et duo modii siliginis, ea lege, ut reliqua omnia societati penderet. Atque ita videbatur societas esse in quieta et secura prioratus illius possessione, et Richerio qui prioris nomine etiam tunc utebatur, hac in parte aliquis honor aut beneficium videbatur concedendum, ut sic certius et suavius prioratus ille collegio addiceretur; verum latebat ignis sub cinere doloso, isque tanto periculosior quo minus a conciliis regis antehac fuerat deprehensus. Richerius enim cum se regis subditum fidelem et voluntati concilii sanctioris Bruxellensis obsequentem simularet, simul alia molitione eius intentionem conatus est evertere et eludere. Nam inde ab anno 1591 cum administrationem istius beneficii nomine regis adivisset, illud in manus abbatis sui Desiderii Tossani resignaverat, qui mox alteri monacho eiusdem monasterii Sebastiano Florentio prioratum contulerat manseratque ea collatio occulta, usquedum sub initia huius anni 1595 Florentius Luxemburgi comparuit et libello supplici a concilio regis petiit ut liceret possessionem prioratus Chiniacensis sibi pridem ab abbe suo collati adire. Nova ea res et indigna senatui est visa. Itaque hominem cum

<sup>1)</sup> Hubert Ludling, qui épousa Jeanne de Blanchart, fille d'Antoine Ludling et de Jeanne Brenner. (*Note communiquée par M. le Dr. Nic. van Werveke*).

<sup>2)</sup> Il s'agit probablement de Valentin Strenge, substitut-greffier du conseil de Luxembourg, père de Jean Strenge, qui fonda en 1676 une bourse au profit du collège des Jésuites à Luxembourg. Voy. Koltz, *Bourses d'études*, p. 203.

sua postulatione ad concilium intimum Bruxellense remittunt simulque Benninckio procuratori regio negotium dant, ut causam collegii adversus molitiones et fraudes tueatur. Hic enimvero in causa illa nequaquam cunctandum ratus, de totius rei serie ab idoneis hominibus cognoscit, concilio omnia enarrat, petit Richerium ob commissas fraudes administratione illa a Patribus concessa privari, omnes eius fruges redditusque isto et praecedent anno perceptos, ubicumque reperiantur, iudicis auctoritate detineri omniaque collegio tradi. Praestare aiebat, iura intacta servare quam post vulneratam causam remedia quaerere et potius rei quam personae incumbendum.

Concilium fruges ut petebatur arresto detineri Richeriumque ad certum diem citari iubet, atque interea Samerio concedit ut arresto nequaquam obstante earum pars vendatur ad 550 florenorum solutionem quos Richerius societati se debere fatebatur. Verum Tossanus abbas et Floretius ex alia parte non cessabant causam suam urgere : principio apud gubernatorem Metensem Sobolaeum querelas graves deposuerunt, et is quidem ad Mansfeldium minaces litteras scripserat petieratque ut Iesuitas prioratus Chiniacensis iniustos, ut aiebat, usurpatores reprimeret. Sed Mansfeldius cum parvi faceret eius minas, humnanum ei responsum dedit neque egit praeterea quicquam. Tossanus igitur et Floretus iterum libello prolixo supplices petunt a concilio Luxemburgensi ut detur designato priori Chiniacensi adeundi prioratus potestas vel certe beneficium illud litigiosum iam in manibus Richerii sequestri relinquatur neque fructus eius societati concedantur, donec iudicis sententia decidatur, cui adiudicanda sit illius possessio ; quod si his petitionibus nihil deferatur, se palam de iustitia sibi denegata quaestionem instituturos. Super hac postulatione concilium Benninckii sententiam et consilium requirit ; is Patres in possessione legitima istius beneficii esse asserit, non posse ea privari per sequestrationem sine cause cognitione : quod omnis sequestratio sit prohibita lege unica, codice de prohibita sequestratione pecuniae ; iusuper Richerium minime idoneum sequestrum videri, tum quia est religiosus abbatis supplicis et adversarii, tum quod de dolis et fraudibus sit suspectus. Abbatem de iustitia non administrata queri non posse, cum remissus ad concilium

Bruxellense intimum fuerit ad quod illi pateat aditus. Quibus auditis concilium in primo decreto suo perstitit monachosque Bruxellas remisit. Illi cum se parum obtenturos a regiis ministris sperarent, ad Clementem P. M. VIII querelas detulerunt, causaque illi exposita petierunt, ut S. Sedis auctoritate alicui praelato mandatum daretur, qui nomine pontificis maximi ius diceret. Pontifex archiepiscopum Trevirensim Ioannem Schonenbergium<sup>1)</sup> vel eius officialem iudicem delegatum per bullam prid. Kal. Iunii anno 1505 expeditam super hac quaestione constituit. Archiepiscopus igitur, commissione apostolica admissa, mox partes iudicis agere coepit et rectorem collegii Luxemburgensis societatis Iesu (ita enim eum nominabat, cum nullus adhuc rector, nullum collegium Luxemburgi foret) ad quartam diem octobris Treviros coram se vel concilio suo et iudicibus subdelegatis citari iubet. Mittitur a Tossano abbate et Floretio Luxemburgum Ioannes Fabri notarius, qui citationem archiepiscopi Patribus insinuet et exequatur. Petit is a concilio Luxemburgensi placetum ut vocant sive potestatem citandi Patres, quod nefas sit subditum regis ad iudicem extra patriam constitutum evocari sine supremi senatus consensu. Concilium libello supplici decretum hoc apposuit: „*nihil hic, sed supplicantes concilium privatum adire poterunt.*“ Notarius Fabri neglecta (contemta) concilii auctoritate Patres adit ac primum Becano, quem e S. Nicolai revertentem offenderat, in plateis summam rei declarat. Qui ut erat vir prudens homini respondet, se lectione breviarii, quod manu gerebat, concionibus ac sacramenti poenitentiae administratione duntaxat occupari, nihil praeterea rerum nosse, neque etiam scire se an et ubi terrarum prioratus ille Chiniacensis exstaret. Inopinato hoc responso stupefactus Fabri domum deinde venit, Vermadio ac Samerio citationem praelegit eiusque exemplar obtrudit, quod cum recusassent admittere Metas redit. Ibi rursum Tossanus per notarium Morion eandem citationem in pago

<sup>1)</sup> Jean de Schonenberg, nommé aussi de Schoenberg ou de Schonberg, était prévôt du chapitre de Trèves et recteur magnifique de l'Université de la même ville, quand au mois de mai 1581 il fut choisi par le chapitre pour succéder à l'archevêque Jacques d'Eltz. Il aimait beaucoup les Jésuites, se fit sacrer dans leur église à Trèves et leur confia la direction du collège de Coblenze qu'il avait fondé.

Maringio publice edici et valvis ecclesiae affigi curat. Ad quartam octobris Treviris coram iudicibus subdelegatis Hugone Cratzio<sup>1)</sup> a Scharffenstein decano aliisque nemo e Patribus, sed neque eorum nomine quisquam comparet, itaque in rectorem collegii Luxemburgensis (quod in rerum natura non erat) absentem sententia contumaciae decernitur, novaque citatio in mensem sequentem, ut articulis quos adversa pars exhibuerat coram responderet, addita comminatione, quod etiam in absentes et non comparentes sententia ferenda esset. Luxemburgum igitur iterum venit Fabri ad citationem Patribus indicendam, petit a concilio potestatem citandi; verum Benninckii intercessione iubetur priorem citationem factam ante omnia exhibere, qua visa in senatu clare iam constitit de auctoritatis regiae despectu et proculcatione, cum pridem Fabri non obtento placeto nihilominus Patribus citationem notificare ausus esset. Benninckius fortiter apud concilium contra eum egit institutique ut tanquam violator et infractor regiorum privilegiorum in carcere detineretur, donec acta illa iniqua et futilia retractasset, simul senatus iuberet superiorem societatis citationi illi contra regis manifesta privilegia et iura factae neutiquam parere. Fabri subodoratus mentem Benninckii mox relictis omnibus chartis suis apud concilium profugit. Schonenbergius archiepiscopus litteras ad Vermadium interea scribit graviterque queritur quod primo citatus non comparuerit hortaturque ut S. Sedis magis se obedientem exhibeat, se de eius pertinacia etiam Romae apud pontificem querelas depositurum, idque non minus ipsi quam universae societati damno fore. Visis his litteris concilium archiepiscopo scribit et exponit magnam regi fieri iniuriam, dum contra pridem usitata iura et privilegia eius subditi ad iudicem extraneum evo- centur: negotium illud incorporationis prioratus Chiniacensis totum esse regis qui unionem illam a Sancta Sede obtinuit, non esse societatis neque Patrum: proinde rogare se atque etiam nomine regiae maiestatis exigere ut Patres hoc nomine molestare desinat, et item intentatam omittat vel certe suspendat, donec ad concilium intimum regiae maiestatis de ea ipsi referre

---

<sup>1)</sup> Hugo Cratz de Scharffenstein fut doyen du chapitre de Trèves. Voy. *Umbracht, Die höchste Zierde Deutsch-Landes, 9 et Hontheim, Historia trevirensis, III, 146.*

possent. Schonerbergius ad haec aegre tandem post aliquot hebdomadas respondet sibi integrum non esse a S. Sedis mandatis recedere, contra Patres citatos non comparentes se potuisse ac debuisse ex pontificia illa delegatione tanquam contumaces procedere, causam illam ceteroquin mere esse spiritualem neque regis quicquam illius interesse; cum Patribus duntaxat ex pontificis mandato sibi negotium esse, qui hoc magis parere teneantur, quo incorporationem illam a S. Sede ordinario archiepiscopo non requisito, obtinuissent. Verum cum hac responsione concilium id quod speraverat non obtinuisse, rem omnem uti gesta est concilio regio intimo significat, simul efficax remedium praescribi postulat, tum ne regis auctoritas et privilegia pessumeant, tum etiam ne non modo illa Chiniacensis, sed et reliquorum prioratum incorporatio pessimo exemplo in dubium vocetur et litigationibus concutiatur, atque ita collegii tantopere desiderati, patriae tam necessarii, dotatio evertatur.

Adfuit paulo post Luxemburgi Floretius et libello supplici senatui exhibito ausus fuit repetere chartas eas quas supra diximus a notario Fabri relictas. Libellus Benninckio procuratori regio iussu concilii traditur; eius postulatione deinde Floretius per apparitorem adesse iubetur et coram concilio facti sui rationem reddere. Cum 12<sup>a</sup> decembris mane Floretius compareret, Benninckius, ut erat prudentia aequa ac facundia vehementi praeditus, fortissime contra illum agere coepit: „Vidi, inquit, libellum supplicem ab homine isto exhibitum, sed cum edictis principum gravissime vetitum sit ne quis subditorum regiorum ad extraneos iudices sine concilii consensu evocetur, idque ita ab omni aeo servatum sit, neque id privilegium istum lateat, quandoquidem alias facultatem illam sive placetum postulavit, comperio tamen eum ausum esse Patres non obtento placeto voce publica in pago Maringia Treviros citare, atque hac in re graviter eum delinquisse contra consueta patriae iura, contra edicta principum ac privilegia regiae maiestatis. Quae omnia cum manifesto iam teneantur, hoc, inquit, peto, ut non modo non restituantur illi chartae quas exigit, verum etiam officio iudicis adigatur ut curet cessare, omitti et in nihilum redigi actionem Treviris male intentatam: si quid iure agere per litteras pontificias velit, id more maiorum, obtento prius

placeto, et non aliter faciat. Ad haec secundum edicta regia per iudicis sententiam condeinnetur atque ad exemplum aliorum gravis in illum poena decernatur, saltem proscriptibatur et in ditiones regias illi aditus praeludatur, declareturque incapax ad fructus illius beneficii in praedictis ditionibus percipiendos.“ Floretius actione illa Benninckii et procerum aspectu percusus petuit dilationem, dum cum abate suo hac super re colloqui posset. „Imo vero, inquit Benninckius, et abbatem tuum suo tempore et loco citandum curabo; tu porro, cum hic adstes in iudicio, responde: tuum nomen tabulis actionis illius Trevericae inscriptum est; tu auctor, tu concitator es istorum motuum et novitatum: age, tu pro te ipso responde; si taces, silentium pro confessione accipio petoque secundum ante proposita ex edictorum regiorum iure sententiam contra te ferri.“ Cum instaret Floretius, ut cum superiori suo hac de re convenire liceret, consensit tandem Benninckius ut usque in pomeridianum tempus cum iurisconsulto quopiam deliberare posset, sed hac lege ne e civitate abiret, post meridiem se denuo sisteret, de quaestione proposita rationem redderet: ni faxit, sciat sententiam, ut postulatum erat, ferendam. Admissis his conditionibus Floretus e concilio dimissus est, verum mox relictis omnibus etiam equo in diversorio veluti fulmine tactus disparuit. Benninckius igitur, cum a prandio uti promiserat non compareret, egit ut in absentem et contumacem ferretur sententia; ea demum die 15<sup>a</sup> decembris lata est: per illum Florentius damnatus fuit ad actionem Treviris inchoatam deserendam, privatus beneficio litterarum apostolicarum, ad haec et ditionibus regiis proscriptus et incapax ullius beneficii aut fructuum in iis percipiendorum est declaratus.

Sub idem tempus concilium accepto Bruxellis responso ad Archiepiscopum Trevirensim series dedit litteras, quibus iterum rogavit et iterum nomine regiae Maiestatis postulavit, ut actio citationesque Patribus intentatae omittentur, alioquin se iis mediis quae rex praescripserat, pro iure suo conservando usurum. Archiepiscopus, ubi serio rem agi videt, tandem respondet se negotium totum ad pontificem maximum relaturum, eius se decretum exspectaturum, interim Luxemburgenses a violencia et factis abstineant rogat. Itaque ita demum utrumque ces-

satum est: archiepiscopus in lite incoepta et in citationibus ulterius non est progressus, concilium et Patres quieti in hac parte manserunt. Floretius tamen Metas reversus libello supplici apud Sobolaeum questus est de iustitia Luxemburgi male administrata, de equo injuste in diversorio detento; Soboleus<sup>1)</sup> libellum cum litteris suis ad concilium mittit petitque ut quantum aequum et fas foret homini satisfaceret. Concesserunt Luxemburgenses ut Floretius equum et res suas sibi haberet, litterae tamen chartaeque apud concilium detentae remanerent: sententiae latae 15<sup>a</sup> decembris obtemperaret; simul acta in causa ipsius in concilii conclave et sententiam ad Sobolaeum miserunt, ut ipse veritatem et iustitiae administrationem oculis suis perspiceret. Neque pro Chiniacensi prioratu aliud hoc anno gestum comperio.

Pro Aqualensi etiam fortiter eodem tempore actum est: eius possessionem Oliverius adierat (ut dixi), tametsi tunc a Theodoro Lindeno detineretur, sive quod ita velle serenissimum Ernestum regiosque ministros arbitraretur, sive ut illis aliquis pateficeret, an societas quantum requirebatur ad collegii dotationem adepta esset. Verum Lindenus hanc prioratus sui occupationem graviter tulit, quod per litteras pontificias nullum nisi vacantem collegio addici et uniri posse assereret. Quare apud concilium Luxemburgense questus est petitque in antiqua sua contra spoliatores possessione conservari. Concilium scripta eius patribus iubet ostendi, dein ex Samerii postulatione decernit, ut ipse concilio regio intimo exhibeat si quos habeat beneficii illius titulos et ad 27. Ianuarii diem mentem suam Luxemburgi exponat. Verum Lindenus Luxemburgensi concilio scripto simul suae possessionis et iuris sui reddit rationem, simul geminam appellationem exhibit alteram a diplomate, quo superiore anno mandaverat concilium Patribus prioratus Aqualiensis possessionem tradi, alteram a decreto illo ultimo. Enimvero pro collegio iterum hic fortiter egit Beninghius: is enim, cum non obscuris indicis deprehendisset Lindenum Aqualiensis prioratus

<sup>1)</sup> Roger de Comminges (ou Cominenge), seigneur de Sobolle, lieutenant du duc d'Épernon pour le gouvernement de Metz depuis 1590. Il se rendit odieux par sa violence et ses exactions. Henri IV le renvoya lors de sa venue à Metz en 1603.

possessionem rege consentiente accepisse hac lege duntaxat ut, si quando collegio Societatis Iesu Luxemburgi erigendo uniretur, mox illi vacuam possessionem cederet, institutus acrius ut titulos et placetum cuius beneficio eum possidebat proferret; quod cum Lindenus facere cunctaretur, fructus eius beneficii auctoritate regia occupari sive sequestrari ut loquitur postulavit. Quo cognito Lindenus Richardoto praesidi, Leodii tunc forte existenti, petitos toties titulos ostendit. Benninghio hac ratione eosque factum est satis, ut saltem terminum alium Lindeno concederet et initius deinde rem urgeret. Durassius vero provincialis motus partim iustitia causae, quae aliquatenus a Lindeno stare videbatur, partim auctoritate viri quem societati ob unum prioratum nolebat offensum, praesertim cum satis videretur collegio cautum, quo iure in rem acquisito fructus duntaxat Lindeno ad vitam cederet, ab ulteriori Aqualiae petitione cessandum nostris indicavit atque id ipsum regi sive eius concilio intimo Bruxellensi per libellum supplicem exposuit. Ita Lindenus usque ad finem vitae Aqualiensis prioratus fructus percipere non cessavit.

Anno 1596, compositis nonnihil rebus et turbis ob prioratus excitatis, Patres liberius animorum bono operam impendere cooperunt, praesertim Becanus, qui catechismis concionibus conversatione gratissima sensim plurimos attrahebat ad societatis observantiam et amorem, admittente et iuvante Vermadio et Samerio. Grave illis erat et permolestum in exigua et permodesta domo tam diu detineri, multi viri boni et amici vices illorum dolebant, sed praeterea nihil praestabatur. Migrarunt quidem in aliam urbis partem in domum, quam hodie Eucharius Bockius inhabitat, sed non magno cum lucro, quod iam longius a S. Nicolai parochia ubi sacras obibant functiones abessent. Voluit nimirum providentia, ut magnarum structurarum, ita huius collegii aspera esse fundamenta. Ad haec tres prioratus Chiniacensis, Vallis et Useldinganus a nostris possidebantur, ex prioribus illis duobus exiguum capiebatur fructus ob vastationes gallici belli, quod ea tempestate inter Philippum II Hispaniarum et Henricum IV Galliae reges saeviebat. Unseldinganis duntaxat redditibus Patres tres et totidem adiutores rei domesticae se utcunq; sustentabant. Ubi illud nequaquam

omittendum est: visum est Samerio qui res oeconomicas et praediorum redditus curabat a superioribus in mandatis datum, ut exactum singulorum prioratum valorem investigaret ex rationibus quas dictorum prioratum administratores iam plurimis annis reddiderant, prout etiam ipsum fecisse ex chartis ab ipsis relictis cognovimus: et hoc magnopere necessarium erat, ne vel collegium ex assignatis prioratibus minus quam 3000 florinorum annua perciperet cum suo detimento vel plus cum iniuria seminarii. Et cum ea res primis etiam tum collegii huius optimis Patribus et praepositis adeo cara fuerit, merito persuadere sibi debet omnis posteritas viros illos admodum religiosos fundationis collegii negotium neque cum societatis notabili gravamine neque cum ullo seminarii nocumento admisisse.

Pro Chiniacensi prioratu sub finem anni ultimum, sed elanguidum conatum Tossanus S. Arnulphi abbas et Floretius prior istius loci designatus adhibuerunt. Trevirensim archiepiscopum importunis iterum precibus sollicitarunt, ut negotium litis intermissae contra societatem reassumeret. Opportunitatem praebere visum est, quod defuncto seren<sup>mo</sup> Archiduce Ernesto qui collegii istius fundationi et provectioni impense favebat, successerat seren<sup>muis</sup> Albertus Cardinalis Austriacus in Belgii regimine: hunc enim credebant rem a defuncto archiduce inchoatam non tantopere curae habiturum. Ad eum igitur archiepiscopus dat litteras quibus significat in controversia illa prioratus Chiniacensis a pontifice maximo sibi officium iudicis delegatum, se vero ob multiplices intercessiones et comminationes quas concilium Luxemburgense interposuit, ad illum usque diem progredi non potuisse; nolle etiam se pergere ipso inscio aut invito, proinde se petere ut eum quem abbas et prior ad ipsum cum his litteris ablegasset, benigne audire vellet et Luxemburgensibus imperare, ne deinceps cursum iustitiae remorari, et in huiusmodi causis mere spiritualibus pontifici maximo, S. Sedis et ipsi archiepiscopo iniuriam inferre pergent. Erat tum seren<sup>muis</sup> Albertus in castris ad Hulstum Flandriae oppidum et cum negotio illius ignarus esset, ipsas archiepiscopi litteras Luxemburgum mittit et de omnibus instrui postulat. Concilium Benninckio mandat ut rei seriem in chartam coniiciat. Is inde ab anno 1585, cum a pontifice maximo unio prioratum illorum

concessa fuit, narrationem orditur, et quid circa Chiniacensem actum sit strictim exponit additque in fine archiepiscopum et Metenses illis suis actionibus eo solum collineare ut uniones et incorporationes illas funditus evertant, cum summa auctoritatis regiae et boni publici detrimento: cui malo ut obvietur omnem omnino operam impendere oportere. Litterae illae a Benninckio ita compositae nomine concilii ad Albertum cardinalem missae sunt. Qui ut credibile secundum illas archiepiscopo respondet. Certe constat ab illo deinceps, tametsi pluribus annis superstes fuerit, nihil in hac causa ulterius actum. Atque ita per plures annos societas in tranquilla etiam istius prioratus possessione permansit.

## ¶¶¶¶¶

### LIBER QUARTUS.

Ut anno proximo qui fuit 1597<sup>us</sup> res societatis promoveretur, effecit tum continuatus constanter trium PP. totidemque FF. labor et industria, tum praecipue quod Becanus loco Vermandii qui Spiram missus fuit domui praeesse coepit. Tum enim vero ille cum plus auctoritatis adeptus foret, plus etiam adhuc laboris et industriae ad rem domesticam animorumque bonum promovendum. Principio igitur operam dedit, ut locus aliquis idoneus et separatus sacris societatis functionibus cederetur. Itaque cum in illum diem sacrosanctum inissae sacrificium offerrent PP. et sacram eucharistiam populo ministrarent in S. Nicolai parochiali ecclesia ad S. Crucis altare, effecit ut eorum qui illi ecclesiae praeerant consensu usibus nostris sacellum superius fornicibus et columnis suspensum S. Firmino sacrum concederetur, in quo altare mox compositum et adornatum, tum cathedrae ad sacrum poenitentiae sacramentum administrandum erectae sunt. Porro ad obsoletos sacelli illius ac sordibus carieque adesos muros nonnihil adornandos et illustrandos Mansfeldii munificentia atque etiam Brandenburgici consueta benignitas Patribus opportuna fuit. Piae etiam matronae coimplures partes suas deesse non sunt passae. quae pannos laneos lineosque et alia id genus donarunt, quo sacerdos noster sacris operans adornaretur. Et quidem in illis initiis

pro magno munere habitum est, quod eiusmodi sacrae vestes pro 200 florenorum brabanticorum pretio a praefatis matronis donatae forent. Accesserunt et alia a diversis munera, quorum in sacris usus est, 100 florenis aestimata. Itaque tametsi erat tenuis in angusto apparatus, quia tamen insolitus, populum non mediocreiter movit, accendentibus etiam subinde novis pietatis quibusdam exercitationibus. Quod enim vulgo inauditum erat, patrum industria convocati doctores advocati procuratores et viri ecclesiastici musicae periti, et ab iisdem decantatae in sacello vesperae, quas brevis ad populum concio exceptit, tantum cum omnium concursu ut quamplurimi loci angustiis excluderentur. Has aliasque exercitationes haberi non antea solitas sacramentorum maior frequentatio secuta est. Et cum nonnulli quot hebdomadis caelesti pane reficerentur, alii quot mensibus, tum illud memoriae proditum est et accepimus, eo tempore in festis Paschalibus ad sacram eucharistiam accessisse in sacello nostro octingentos, in Pentecoste 250, in festo Assumpt. Virg. 300, in omnium SS. festo 200. Frigida quidem et nimia quantum negligens populi pietas nobis hodie videatur, et tamen plurimum fuit quod PP. intra triennium homines talibus functionibus inassuetos eo usque iam tum deduxerint. In die coenae Domini et feria VI Parasceves sepulchrum novo cultu in sacello deponendo sacro Christi corpori structum et adornatum fuit: attuleruntque matronae cereos complures ad illud illustrandum, quam liberalitatem piam iam inde usque ad hoc tempus exercere pergunt. Placuit etiam vehementer populo primariisque viris quod puellulae dum sacra catechismi lectio haberetur subinde dialogismos publice instituerent de Deiparae assumptione aut simili aliqua materia, quae res tum primum Luxemburgi frequentari coepta est. Neque vero angustis sacelli S. Nicolai cancellis Patrum industria clausa stetit, verum et ad alia loca se extendit, praesertim ad monialium S. Spiritus parthenonem, ubi de rebus ad eorum institutum et vocationem spectantibus verba facta. In populo vero per totam civitatem multiplex fuit Patrum et labor et fructus. Miserorum et afflictorum hominum cura suscepta est: aegrotantibus per vias exhortationes solatium allatum, moribundi ad felicem ex hoc vita exitum praeparati, xenodochia et nosocomia cum aegro-

tantum et hospitum solatio visitata, incarcerati et ad supplicium damnati ad spem vitae aeternae excitati et dispositi, egenis eleemosynae ex piorum civium liberalitate obtensae, quod tum potissimum praestitum, cum ob hostiles Gallorum in agrum Luxemburgensem excursiones magna rusticorum turba ex sedibus ab hoste pulsa intra civitatis moenia se recipere est coacta, qui cum non modo xenodochia, sed et plateas implerent et tantum non enecarentur fame, a Patribus charitate, qui passim eis panem cibos aliaque necessaria a piis hominibus procurabant, ab extremo exitio conservati sunt. Nonnulli etiam qui a fide catholica exciderant ad saniorem reducti sunt mentem, alii libros hereticos quibus eousque usi fuerant, ad Patres detulerunt igni tradendos. Iudeus quadragenarius christianaee fidei rudimenta edoctus et sacro baptismi lavacro ab infidelitate simul et vetusta malitia purgatus est. Alii contemtis huius vitae lenociniis nostrorum hortatu et directione religiosae vitae institutum amplexi sunt. Generatim vero in populo insignis inorum emendatio observata est, plurimi maledicendi obtrectandique vitiosam consuetudinem iurandi blasphemandique licentiam evitarunt. Denique etiam ad pagos oppidaque remotiora unus e Patribus excurrit et per provinciam bonum societatis odorem diffudit. Multi instituta apud eum peccatorum exomologesi adiuti, alii a noxis quibus iam multis annis implicati haeserant liberati sunt, alii totius vitae rationes a se exegerunt et apud Patrem mentis suaे onera deposuerunt, prorsus ut singulare numinis cura et consilio illum ad auxilium suum missum praedicarent. Quae quidem salutaris admodum et apostolica iuvandi proxima ratio tunc quidem leviter incepta consequentibus dein annis summo cum totius patriae fructu assidue per plures etiam Patres frequentata est. Atque his quidem Patrum studiis curis et operibus summorum et infimorum inagnopere crevit erga societatem benevolentia, quod tum maxime patuit, quando ad domum emendam (ut iam dicetur) pecunia nostri opus habuerunt.

Degebant initio anni huius in domo aliena Patres sita in oppidi **extremo ad eam partem**, ubi porta qua ad SS. Virginis sacellum itur, structa est, remota admodum, ut dictum est, a templo et sacello S. Nicolai. Magnopere igitur laboratum est a

Patribus eorumque amicis, ut aliquando fundus et aedes societatis propriae emerentur. Tandem multis frustra tentatis vii, una successum habuit, quando adnitentibus praesertim Brandenburgico, Benninckio et Ioanne Wilthemicum cum nobili viro Joanne Berthio<sup>1)</sup> in Brabantia consiliario conventum est, ut is Becano et societati domum quam aliquot ante annos a prae-nobili viro Luxemburgensis ducatus vexillifero Guilelmo Floedorfio<sup>2)</sup> emerat, iusto pretio venderet. Quamvis autem eam ipse 3750 florenis emisset, ea tamen Becano 6800 vendita est, quod Berthius nova quaedam aedificia in illo fundo molitus esset et lapides caementaque ad maiora struenda illuc deducta simul traderet. Eam pecuniae summam, cum res domi angusta esset, hoc et sequentibus annis Becanus tum parcimonia domestica, tum piorum hominum liberalitate sensim corrasit. Datae quidem fuerunt litterae a regio intimo concilio ad magistratum Luxemburgensem, ut ea pecunia quae superioribus annis pro eiusmodi domus emptione collata fuerat, huic solutioni impenderetur, sed nihil quicquam per eas obtentum invenio. Atque tum primum coepit societas in fundo et domo sua Luxemburgi habitare quae est ea pars collegii, quae a templo versus occidentem usque ad aedificium maius sive aulam domesticam protenditur.

Foris in prioratibus tum in possessione tum in administratione nihil turbatum est. Neque aliud reperio circa praedia gestum quam quod a regio sanctiori concilio diploma obtentum quo severe imperatur omnibus dictorum prioratum colonis, villicis et locatoribus, ut reditus omnes ad se spectantes ac locationum contractus et terminos edicerent. Numerus sociorum auctus est uno rerum temporalium coadiutore.

Anno 1598 Patres tres iis functionibus quas jam recensuimus anno elapsso intento cum labore fructum auxerunt. Inprimis sacello

<sup>1)</sup> Berty, Jean de, fils de Jean-Baptiste de Berty, secrétaire des conseils d'Etat et privé, et de Pétronille Moys-de-Stenvoort, fut nommé conseiller au conseil de Luxembourg le 6 juillet 1574. Il prêta serment le 14 novembre entre les mains de Pierre van der Aa, président. Le 4 mai 1597 il fut nommé conseiller au conseil de Brabant. *Biographie nationale de Belgique*, II, 346.

<sup>2)</sup> Flöderf, Guillaume de, seigneur de Laroche et Mastroff, bannieret héréditaire. Voy. *Wurth-Paquet et Dr Nic. van Werveke, Chartes de la famille de Reinach, et Schaack, H., curé à Mastroff, Essai historique et archéologique sur le village et le château de Mastroff, Publications historiques de l'Institut*, XXIX, 268 et ss.

ornatus piorum hominum liberalitate crevit; crevit quoque occupationum multitudo, nam non solum dominicis quibusque ac festis diebus, sed etiam feriatis per adventus et quadragesimae tempora concio a P. Becano habebatur; in variis religiosorum templis et parochialibus nostrorum conciones expetitae fuerunt, et lectio catechistica in S. Michaëlis haberet copta ad pueros atque matronas virosque; maximus erat ubique ad nostros audiendos non infimi populi solum, verum etiam virorum primariorum et consiliariorum regiorum confluxus nec minor fructus, quem potissimum in sacro paenitentiae tribunali Patres collegerunt, ubi praeter morem subinde tres a mane usque in seram noctem confitentibus operam dare cogebantur; in his multi religiosi cum praepositorum suorum bona venia confitendi causa nostros accedebant. Ad haec ad sacram eucharistiam accendentium tanta erat multitudo ut multi obstupescerent Deumque laudarent, quod in ea tempora servati essent quibus primogeniam Christianorum pietatem reflorescentem daretur intueri. Feriatis porro diebus tot ad sacrificium missae concurrebant, ut festivi potius viderentur. Eluxit etiam magnopere populi pietas in ea consternatione quam civitas in hostium oppugnatione passa est: nam cum circa haec tempora gallicus exercitus duce marescallo Bironio civitatem intra octiduum saepius tentasset, et eam tandem stratagemate, effractis nimirum per machinam ignivomam portis, occupare conaretur, magna per aliquot dies civium fuit trepidatio. Patres illo tempore ad pietatem excitare, sacras litanias omnium sanctorum ante et litanias B. M. V. post missam legere, sacramenta eucharistiae et poenitentiae frequenter praebere, donec ira numinis aversa hostis repulsus et civitas metu liberata est. Publico deinde senatus decreto Deo gratiae datae solemnii supplicatione et missae decantatione, rogatusque Becanus ut concionem haberet, quod etiam deinde sequentibus annis observatum est. Alia quoque charitatis opera populo exhibita sunt; nam dissidentes ad concordiam reducti, iamiam duello inter se certaturis arma extorta, pauperibus captivis opportunum allatum auxilium, superstitiosi ritus, quibus populus simplicior admodum dementatus erat, institutis frequentibus adhortationibus magnopere diminuti. Et quamvis ob pestiferam luem hostilesque depraedationes non

licuerit nostris ad pagos discurrere, pastores tamem rusticani ad Patres frequentes accurrerunt, et ab iis de interioris fori quæstionibus consilium petierunt.

Eadem porro pietatis opera anno insequenti (1599) pari studio frequentata et ex concionibus, praeter poenitentiae et sanctae eucharistiae multiplicem usum, hunc etiam fructum retulerunt Patres, ut indulgentiarum obtainendarum studium, pridem nescio qua oblivione et negligentia intermissum, concionatoris hortatu, prima cujusque mensis dominica aliisque per annum festivis diebus populus resumeret. Ad haec modesta eiusdem reprehensione multi turpes abrogati usus, cuiusmodi erat is, quem cinerum die circa sancti cuiusdam sacram imaginem ridicule eam circumferendo popellus bacchanantium in morem admittebat: quod senatus severo edicto fieri deinceps vetuit. Similiter mittebantur ad vicinam haereticam civitatem liberi linguae gallica discendae causa; id quoque senatus prohibuit et pueros mox inde revocari aliquo amandari iussit. Plurimae deinde abominandæ superstitiones in morbis curandis frequenter adhiberi solitæ frequentibus et iteratis concionibus repressæ. Subinde utriusque senatus (magistratus) consensu et approbatione per 40 diurnas nocturnasque horas continuatae a nostris preces pro communi patriæ bono, quas concio clausit, audiente eam Mansfeldio, senatu et omnibus primariis, quibus ea pietas, uti insolita Luxemburgi, ita gratissima accidit. Simul misericordiae opera erga pauperes commendata et persuasum ut collectæ fierent in pios usus infirmorum et honestorum civium secreta et verecunda paupertate laborantium. Effectum denique tum amica senatorum exhortatione, tum nostris prae-euntibus, ut cum venerabile sacramentum in publica supplicatione circumferretur, plateæ corollis, tapetibus atque ornamentis aliis vestirentur, cuius tam necessarii officii Luxemburgi non consuetudo modo, sed ne cognitio quidem esse videbatur. Domini sacerdotes externi, tum alii cum magno animi sui bono exercitia spiritualia peregerunt, in fide item instructi catholica et confirmati alii atque ecclesiae catholicae conciliati sunt. Frequenter insuper aditi infirmi, moribundi, captivi; rei de peccatis confitentes auditæ et ad supplicium extremum a nostris cum magno sui solatio deducti mortem patienter opprime-

runt. Sacerdos quidam a scandalosa mulierculae cuiusdam familiaritate abductus. Pax inter dissidentes conciliata, namque cum duo iamiam ad duellum in arenam descensuri essent, a nostro ad arma depoñenda et concordiam ineundam inducti sunt. His aliquis pietatis officiis id Patres obtinuerunt, ut erga eos benevolentia civium cresceret, quae tum in liberalitate erga sacellum domesticum patuit, tum in benevolentia qua patrem provincialem visitantem prosecuti sunt, quem et Mansfeldius ad mensam suam venire voluit et magistratus vino honorario et plures alii ferculis cibisque variis donarunt.

Postremo annexere visum est memorabile quod accidit et ad SS. Deiparae laudem facit. Puella 15 annorum, dum aquam haurire conatur, in cisternae profundum abripitur; inter cadendum SS. Virginis opem implorat et obtinet. Nam tametsi in aquas procul demersa, tamen mox emicuit et in summo earum veluti manibus sustentata quartam fere horae partem natavit, donec a concurrentibus vicinis salva et incolunis est. Haec ita evenisse ipsam Patri retulit, cum ad SS. eucharistiam gratitudinis ergo summandam properaret.

Atque haec quidem ad animarum fructum spectant. Ad res domesticas et corpori necessarias quod attinet, PP. iam in suo degebant domicilio quod anno superiore ut diximus emptum auxerant et aptarant ad usus nostros, impensis in illud universim facile 12 000 florenorum, quod partim ex parsimonia, partim priorum eleemosynis atque etiam contractis nominibus collegerant. Rei vero domesticae angustias sublevabant uberius iam liberi ab hostili incursione prioratus Chiniacensis et Vallis, tametsi in ecclesiis parochialibus quae ab iis dependent instaurandis, quod eae per bellorum turbas partim neglectae partim vastatae forent, minimum 600 floreni fuerint impendendi. Porro ut ad scholas sensim locus aptaretur, concilium regium et magistratus urbicus hoc anno deliberationes instituere coeperunt et viam rationemque dispicere, qua ternae quaternaeque aedes nostris vicinae ad eum usum coemi possent, quod tamen nonnisi post aliquot annos effectum est. Ad Chiniacensem vero prioratum quod attinet, quamvis nihil ab adversariis turbatum comperio, animadverto tamen hoc anno serenissimum Albertum archiducem, qui ducta Isabella Hispaniarum infante Belgii

dominus et princeps erat<sup>1)</sup>), negotium collegii eiusque fundationis serio cordi habuisse, dum expressis ad concilium Luxemburgense missis litteris mandavit, ut si forte a monachis Metensibus placetum peteretur, quo Patres ad iudicem quempiam extra-neum citare possent, nihil illis Luxemburgi concederetur, sed ad sanctius concilium Bruxellense remitterentur. Insuper Patres ob prioratus collegio addictos non sinerent a quopiam oppug-nari, sed *advocati* seu procuratores fisci causam illam tuendam in se susciperent: aequum omnino esse, quandoquidem illa prioratum unio a Philippo II rege et socero suo gloriose memoriae a S. Sede impetrata fuisse eiusque mandato et vo-luntate patres Luxemburgum essent missi et destinati, eosdem tranquillos in piis suis muneribus relinqui et a principis minis-tris defendi.

Anno seculari 1600 praeter tres sacerdotes et tempora-lium adjutores quatuor, unus etiam scholasticus societatis domum Luxemburgensem incoluit. Patres conciones, catechismi lectiones, pietatis et charitatis opera impigre obire perrexerunt, quibus etiam hoc additum, quod ad pagum unum quidam excurrit qui rudem populum doceret. Insuper mendicabula quae statis diebus civium domos obire solent ad stipem colligendam, in ipsis plateis fidei christiana rudiimenta sunt edocta non sine civium approbatione et congratulatione. Ad leprosos quoque civi-tati vicinos frequenter itum, qui magno mentis solatio affectos se crediderunt, dum ea quae homini christiano scitu neces-saria liceret hoc pacto ediscere. In schola item triviali puerorum ab uno, et ab altero in puellarum, doctrina christiana ad aetatis istius captum exposita et teneris illis mentibus est impressa. Ad pia mentis exercitia domi nostrae peragenda plures diversi generis et conditionis homines secesserunt et in his baro illustris cum famulo. Nonnemo etiam Lutherana haeresi infectus cum decumberet, accersito sacerdote nostro ab errore ad fidei veritatem traduci se est passus susceptisque pie ritu catholico sacris vitam finivit. Prostabant publice venales imagines foedae

---

<sup>1)</sup> Albert, archiduc d'Autriche, gouverneur des Pays-Bas, avait été nommé, très jeune, cardinal-archevêque de Tolède. Il renonça en 1598, après la paix de Vervins, à la pourpre romaine et épousa Isabelle-Claire-Engénie, fille de Philippe II. Depuis cette époque on regarda les deux époux comme souverains des Pays-Bas catholiques.

aliaque haeresin redolentia, de quibus amice a nostris admonitus senatus iussit illico pestem illam, ne quos innocuos afflaret, amoveri flammisque tradi, venditores vero facessere et patria ista abesse. Denique consuetis iam supra recensitis societatis functionibus et charitatis, quae nostri assidue praestabant, officiis adeo patres omnem civitatem permoverunt, ut non modo ipsi summo apud summos infimosque tam ruri quam domi essent in pretio et veneratione, verum etiam luculentis omnium testimonii publice praedicaretur, populi faciem prorsus aliam et plurimum in melius mutatam esse. Quae quidem populi tam pietas quam benevolentia et propensus in societatem affectus in annos sequentes semper perduravit.

Similia omnino pietatis officia anno proximo 1601 a patribus praestita erga populum : frequentia vero SS. eucharistiae mensam adeuntium magna est visa, et calculo inito deprehensum quod toto anno extra paschales ferias facile 2500 in sacello nostro sacris epulis sint refecti. Quam rem notasse equidem iuvat, ut constet quantum Deus dederit initio illi incrementum, quando annis consequentibus vel uno die solemni plures quam tunc toto anno in solo templo societatis numerati sunt communicantes, etiam iis qui in aliis religiosorum templis hoc officium sacrum praestare solent praetermissis. Nobiles duo adolescentes una cum suo moderatore ad fidem catholicam sunt traducti, libri haeresin aut superstitionem complectentes igni traditi. Cum vero pro Belgii publicis necessitatibus in sacello nostro preces 40 horarum institutae fuissent, ea res ita placuit, ut duo parochi in suis item templis exemplum hoc imitati sint.

Hoc eodem anno Becanus strenue pro immunitate domus nostri laboravit. Nam cum usque in hoc tempus ratione prioratum quos possidebat societas, ordines patriae ecclesiastici nullum consuetum tributum quod subsidium vocant exegissent, et non dubiis indicis praeverideret Becanus, eos id postulaturos, quod ingentem pecuniae vim serenissimis archiducibus in comitiis recenter habitis addixissent, prudenter periculum illud praecooprandum judicavit, adeoque Bruxellis a principibus libello supplici exhibito additisque Pii V pontificis maximi quibus societatem eximit a talibus oneribus, litteris petiit ut Luxemburgensis

domus in ea qua hactenus stetisset immunitate conservaretur atque ordinibus, ne quid contra eam innovarent, mandaretur. Principes concilii Luxemburgensis iudicium et sententiam hac super re, antequam concederetur, audiendam decreverunt. Interea Becano, quod iam ante is praesenserat, abbas Reinerus S. Maximini, Ioannes Epternacensis et Benedictus Monasteriensis nomine ordinis ecclesiastici per litteras mandant ut ratione subsidii principibus promissi pendat pro prioratu Useldingano florenos brabanticos 110, pro Chiniacensi 120, pro Vallensi 160. Concilium, auditis praelatis atque etiam procuratore regio fiscali in favorem societatis rescripsit, videri nimirum patres in sua immunitate conservandos et ac hoc onere subsidii pendendi liberandos. Rationes, quibus senatores ad hanc sententiam inducti sunt, has potissimum fuisse accepimus: 1º quod societas ex pontificum diplomatis et decretis mendicantium ordinibus annumerata sit, et proinde non magis ab eius domibus et collegiis tributum illud exigendum quam ab aliis mendicantibus videretur; 2º quod societas se in publici boni promotionem et praesertim iuuentutis institutionem totam se impenderet, idque gratis, nullo stipendio inde collecto, et tamen constaret didascalos passim in gymnasiis, quamvis pretium laboris acciperent, a talibus oneribus liberos haberi; 3º quod aliis plerisque Belgii provinciis collegia immunitate illa gauderent; 4º accedebat quod anno praeterito, cum in comitiis generalibus Belgii ordines postulassent, ut nemo unus ab illo tributo pendendo a principibus eximeretur, hi responderant se quidem id velle, sed tamen quatuor ordines mendicantes, societatem Iesu et capucinos ab hac lege eximendos videri. Cognita porro concilii Luxemburgensis opinione principes diploma dederunt, quo societatis homines Luxemburgi degentes immunes a tali tributo fore pronuntiarunt imperatumque tum concilio tum aliis suis ministris, ut ea libertate eos uti fruique sinerent neque a quoquam aliquid contra fieri permitterent utque id ipsum quoque ordines servarent. Quod idem diploma multiplice forma et maiori firmatum sigillo anno 1604 denuo expeditum est, et cum anno 1606, dum generalis subsidiorum quaestor rationes redderet, difficultas orta esset ob summam supradictam prioratibus nostris impositam non solutam, principes litteris ad

ordinum deputatos expresse missis mandaverunt, ut summam illam tamquam non debitam praeterirent et deinceps a tali onere societati imponendo abstinerent.

Anno 1602 quatuor sacerdotes et totidem rerum temporalium adjutores in vinea Domini strenue laborare Luxemburgi pergunt concionibus, catechismis, paenitentiae et eucharistiae sacramentis administrandis, ad pagos excurrendo, dissidentes ad concordiam reducendo, aegrotos visendo non pauperes minus ac contemptos quam primarios, exercitia spiritualia prae-bendo, quibus peractis duo religiosae vitae institutum ceperunt, reis ad supplicium ituris operam navando ac praesertim curando, ut, 'qua fas foret, sacro viatico quod olim erat insolitum reficerentur. Et quidem sacramentorum frequentia crevisse insigniter est visa, in quam rem profuit exemplum Ioannis Benninckii praesidis eiusque coniugis, matronae longe piissimae, qui, dum in sacello palam officio illo pietatis funguntur, plurimos summi infimique generis homines ad eadem praestanda trahunt. Occasionem ad haec rei bene gerendae praebuit quod suffraganeus Trevirensis Luxemburgi confirmationis sacramentum hoc anno populo praebuerit, ad quod officium, cum multis retro annis intermissum fuisset, incredibilis rusticorum hominum multitudo in civitatem confluxit, quorum magna pars sacris poenitentiae et eucharistiae mysteriis accessit, omnes vero de ritibus ab ecclesia praescriptis circa confirmationis usum edocti sunt. Magis etiam profuerunt indulgentiae ab archiepiscopo Trevrensi Romae pro universa ditione sua obtentae, quas cum ad 10. novembris diem Luxemburgensibus concessisset, tantus fuit ad sacrum poenitentiae tribunal accedentium numerus, ut quatuor nostri sacerdotes a mane usque ad vesperam per plures dies praecedentes satisfacere illis non potuerint, tametsi duos Treviris auxiliares sacerdotes advocassent, quin imo ne duplo quidem plures populo satisfacere potuissent. Atque hoc tempore plurimae de tota vita exomologeses institutae, multae vero animae ab interitus periculo eruptae. Haeresi quoque ac superstitione infecti libri remoti; ab haeresi vero ad fidem catholicae traducti omnino septem. Ex his duo, peractis domi nostrae sacris mentis exhortationibus et exomalogesi de universa vita instituta, palam coram nobilibus primariisque viris fidei pro-

fessionem iuxta concilii Tridentini normam fecerunt. Eorum alter, etiam a Lutheranae haeresis seminiverbio literis oppugnatus atque insuper libris haereticis, tantum abest ut a statione quicquam moveretur, ut etiam apologia prolixa seductoris illius technas dispulerit, quam ille cum recepisset ne verbum quidem contra mutire sit ausus. Ita adolescens clarius veritatis catholicae virtutem agnovit cui doli nulli aut astutiae vim inferre possint. Cum coenobii Munsteriensis abbas extremum decumberet et a nostris saepius viseretur, petit ut sibi perpetuo in extrema illa periodo adesse vellent: quod factum et ad extremum usque spiritum, quem pie admodum Deo reddidit, solatio et auxilio illi fuerunt. Postmodum Becanus in eius exequiis coram pri-mariis viris plurimis vitam eius, uti merebatur, laudavit.

Miraculi speciem haec habuerunt. Puerpera cum in gravissimis doloribus a sacerdote nostro R. P. Ignatii imaginem accepisset et venerabunda sibi applicuisset, paulo post dolore liberata est. Venefico in tetrum carcerem incluso sacerdos etiam noster crucifixi Domini sacram iconem donavit muroque affigi iussit; ad quam cum ille tota nocte humi prostratus preces funderet, victus scilicet et in fugam actus Sathanas adversarius, et reus ingenti pondere veluti saxo molari humeris ac cordi incumbente liberatus, deinceps nullam a tartareo hoste molestiam est passus.

Crevit quoque sacra supellex byssinis cortinis velisque tabernaculo SS. Sacramenti adornando aptis et bibliotheca libris donatis est aucta. Cum autem anguste admodum habitarent Patres, hoc anno erectum est aedificium a fundamentis id quod a platea ad meridiem recta protenditur usque ad scalas lapi-deas. Inferior huius pars congregationi parthenicae, superior habitationi octo personarum destinabatur. Verum sequentibus annis media contignatio ad hypocausti usum immutata est.

Multorum votis et postulationibus a pluribus abhinc annis expetitum fuerat, ut ludo litterario tandem aliquando initium daretur. Verum ut omnia ex parte nostra in promptu essent, deerat tamen locus scholis erigendis vel aptandis. Illum inde ab anno 1600 Albertus archidux emi a senatu regio iusserat, ut Philippi regis catholici gloriosae memoriae desiderio satis-fieret. Sed ante hoc tempus res confici non potuit. Offerebatur

domus venalis cum adhaerentibus stabulis et horto a praenobili viro Franciseo ab Eltz in Pirmont<sup>1)</sup>), quae a platea (collegium a Franciscanorum fundo separante) usque ad moenia urbis extendebatur et versus meridiem fundum nostrum attingebat. Concilium, ut contractus emptionis legitime fieret et possessio nomine principum adiretur, mandatum dat Adriano Goudio<sup>2)</sup> fisci procuratori, Henrico a Marchia<sup>3)</sup>, quaestori generali, et Philippo Dronckmanno<sup>4)</sup> civitatis syndico, ut cum dicto venditore vel eius mandatariis rem omnem transigant. Id peractum 25 februarii, quo die coram magistratu civico<sup>5)</sup>, ut leges patriae iubent, domus illa cum omnibus adjunctis principi vendita et tradita fuit pretio 3050 thalerorum quod principis munificentia subministravit. Eodem anno deinde mense aprili cum Bernardus Oliverius provincialis Luxemburgi visitationem de more perageret, Benninchius praeses adstantibus omnibus concilii senatoribus societati claves tradidit dictae domus una cum instrumentis emptionis et propriam in perpetuum asseruit, eo potissimum fine, ut scholasticis exercitationibus aedificia illa servirent, quod et factum, ut mox dicetur.



### LIBER QUINTUS. Anno 1603.

Regis catholici Philippi II gloriosae memoriae, ordinum ducatus Luxemburgensis civitatisque commune votum ac desiderium, ut nimirum iuventus in scholis a nostris hominibus

<sup>1)</sup> Eltz, François d', seigneur d'Eltz et de Pirmont (Iez-Carden). Il avait épousé Irmgardt, née d'Eltz. Voy. *Wurth-Paquet et van Werveke, Chartes de la famille de Reinach et Archives de Clervaux, passim. Eiflia illustrata, I, 2<sup>e</sup> partie, 198; III, 1<sup>re</sup> partie, 127 et ss; Eiflia sacra, I, 337.*

<sup>2)</sup> Goudius Adrien fut nommé conseiller et procureur général par patentes datées de Bruxelles le 16 janvier 1599.

<sup>3)</sup> Marche, Henri de, nommé receveur général par patentes de la Chambre des comptes du 21 avril 1593 et par patentes royales datées de Bruxelles le 24 septembre 1593.

<sup>4)</sup> Dronckmann Philippe, échevin et syndic de 1595 à 1619.

<sup>5)</sup> Le magistrat de la ville de Luxembourg comprenait en 1602, selon M. le professeur van Werveke, les membres suivants : Fels Adrien, justicier; Ferber Jean, échevin; Dronckmann Philippe, échevin et syndic; Binsfeld Adam; George Meuchin; Lucas Dorn et Mathias Birthon, échevins.

ad scientiam virtutemque institueretur, tandem anno 1603 expletum fuit. Calendis Octobris solemne ab abbatte Monasteriensis<sup>16)</sup> de Spiritu sancto decantatum, Mansfeldio adstante, senatu aliisque proceribus, qui deinde domi nostrae prandio frugali excepti. Orationi quam unus e Patribus habuit de liberalium artium laude et mox dramate eleganti a pueris exhibito cum applausu interfuerunt. Postridie vero lectionum initium datum: auditores numerati sunt omnino 200 iique in tres classes distributi et a tribus Patribus edocti. Quantas ex scholis hisce et iuuentutis eruditione fructus postmodum collectus sit, novit posteritas. Eruditorum certe et presbyterorum tanta sequentibus annis exstitit tota hac patria copia, quanta superioribus et praeteritis saeculis fuerat raritas. Neque vero tam bono et utili operi, cuius iam tum fructus prospiciebatur deerant fautores: magistratus civicus domum superiori anno donatam a serenissimis principibus ad usum scholarum suis sumptibus aptandam sibi delegit, cathedras duas pro professoribus duo praelati, tertiam insigni artificio ornatam donavit unus de eodem magistratu; et cum domus predicta classibus omnibus non sufficeret, alio aedificio in quo simul aula erigeretur opus fuit. Illius quoque hoc anno fundamenta sunt iacta, dirigente maxime et adiuvante Benninkcio, qui ipsemet elemosynas pro tam bono opere conquirebat. Ita cum antehac domus haec residentiae nomine a nostris haberetur, modo favente maxime visitatore Oliverio Manareo aliisque superioribus collegium esse coepit primumque rectorem habuit Theodorum Becanum eundem quem inde a sex annis superiorem. Collegialum vero auctus est numerus 4 adiectis sacerdotibus et coadiutore 1: ita universir: 13 censemantur qui omnes conatu indefesso et labore Dei gloriam et animorum bonum consuetis concionum, cateschesis charitatisque functionibus promovebant. Et ut constaret fructus operum atque profectus pietatis, animadversum est hoc anno universim fere 5000 homi-

<sup>16)</sup> C'est Roberti, Pierre, né à St. Hubert vers 1566, qui se trouvait en 1603 à la tête de l'abbaye de Munster. Il avait été élu le 9 juillet 1602 à la place de Benoît Hamblin, mort le 5 juin de la même année. Son élection fut approuvée par les archidiucs le 27 août et par l'archevêque Lothaire le 16 novembre suivant. L'abbé Roberti éleva au héros de Crécy un superbe mausolée pour lequel le célèbre Frycius Puteanus, professeur à l'université de Louvain, composa une épitaphe latine. N'oublions pas de dire qu'un frère de l'abbé Roberti faisait partie de la Compagnie de Jésus depuis 1592.

num extra paschales ferias ad SS. eucharistiae mensam accessisse, speciatim vero in festo Natalis Domini 550, Circumcisionis 280, Purificationis B. V. M. 475, Omnium Sanctorum 510. Ad haec generales de tota vita confessiones plures institutae, magna pecuniae vis iniuste detenta dominis suis restituta, personae aliquot a vita prostituta ad christianam honestatem revocatae, aliae e periculis incontinentiae eruptae. Ab haeresi ad catholicam fidem facile 15 reducti: milites ii erant plerique quorum cohortes saepius a nostris magno cum fructu fidei christiana principia in stationibus sunt edoctae. Consueta illa charitatis erga infirmos, incarceratedos, ultimo suppicio adiudicatos opera non segniter praestita. Etiam ad pagos industria nostrorum excurrit, ubi rusticorum hominum pietas et ad suscipiendam coelestem sementem promptitudo non minorem quam Patrum labor laudem habuit et meritum. Ex spiritualibus exercitiis domi hic collectus est fructus: sacerdos unus, pastor, iis peractis Lovanium ad studia profectus est, relicto vicario in parochia sua; alter SS. Theologiae baccalaureus societati operam suam addixit eamque quamprimum ingredi est conatus.

Hanc porro industriam et labores nostrorum non modo divinus, sed humanus quoque favor ingens prosecutus est. Patuit id in pluribus temporibus. Mansfeldius enim se omnino benevolum nostris ostendebat, quotidie pene sacrificio missae in sacello nostro intererat, frequenti alloquio homines nostros honorabat, si qua re egeremus, id sibi mox indicari iubebat, vini magnam copiam collegio, sacello ornamenta pretiosa donavit. Eadem sacello praelatus Epternacensis e sacris S. Barbarae lipsanis magnam partem attribuit, ad quam aliae etiam variorum sanctorum sacrae reliquiae Colonia allatae accesserunt, bibliotheca denique Mansfeldii, abbatum et aliorum procerum liberalitate crevit. Atque ut constaret clarius civitatis erga societatem benevolentia, cum Bernardus Oliverius provincialis visitandi collegii causa Luxemburgum venisset, magistratus civicus epulum instituit ad eius honorem, cui praelatos duos totumque senatum interesse voluit. Munificentior omnibus fuit Albertus archidux, qui praeter eam pecuniae vim quam anno proxime elapsa domui emenda addixerat, iterum collegio 5600 florenos brabanticos ad aeris alieni nomina dissolvenda donavit.

Quo auxilio aliisque eleemosynis adiutus Becanus animum ad fundum domesticum amplificandum adiecit: erat in visceribus paene collegii sita domus nobilis viri Salentini Faustii<sup>1)</sup> a Stromberg, quae nimurum inter eas quas a Bertio Eltzioque acquisiveramus sita, a platea anteriore usque ad hortum domesticum excurrebat. Cum Faustio igitur tractat Becanus et ad vendendam domum illam cum area, horto ac stabulis annexis inducit; atque ut res facilius conficeretur, Faustio Christophorum Busbachium<sup>2)</sup> senatorem regium cum adjuncto Henrico Wolkringio<sup>3)</sup>, civitatis et praepositurae scriba, suo loco constituit, ut cum Patribus de emptionis huius pretio convenientia, tabulas conficiant et coram magistratu solemniter traditionem peragant. Quae omnia feliciter gesta et addicto 2500 thalerorum pretio domus eiusque appendicium possessio Becano est tradita hoc eodem anno 20 septembbris.

Venio nunc ad ea quae extra civitatem pro collegii fundatione sunt acta. Eodem anno 1603, 11<sup>a</sup> iulii, fatis concesserat Theodorus Lindenus, cathedralis ecclesiae decanus Leodiensis, qui in illum usque diem prioratus Aqualiensis possessionem societate id ob maius bonum volente retinuerat. Prudenter Becanus diu ante huic eventui prospexerat, et ne forte defuncto Lindeno quispiam nostris absentibus possessionem eiusdem beneficii vacantem invaderet, anno 1599 rectori Leodiensi mandatum seu procuratorum, ut vocant, solemnibus tabulis dederat, ut statim a Linden obitu, quandocumque ille eveniret, nomine rectoris et collegii Luxemburgensis dicti prioratus possessionem adiret. Id Ioannes Crombecius<sup>4)</sup>, Leodiensis

<sup>1)</sup> „Il y eut deux familles illustres du nom de Faust, ou plutôt cette maison s'était divisée depuis plusieurs siècles en deux branches importantes, qui se dénommèrent l'une: Faust d'Aschaffenbourg, d'où le fameux co-inventeur de l'art typographique; l'autre, Faust de Stromberg, du nom d'un fief que cette branche a possédé“. Voy. *Notices biographiques et généalogiques luxembourgeoises par le baron Emmanuel d'Huart, Publications de la section archéologique de l'Institut, 1850, p. 133. Neyen, op. cit. I. 192.*

<sup>2)</sup> Busbach, Christophe de, conseiller-lettré au conseil provincial de Luxembourg. *Neyen, op. cit. I. 107.*

<sup>3)</sup> Henri de Wolcrange. Voy. *d'Huart, baron Emmanuel, Généalogie de la famille de Wolcrange. Publications de la Société archéologique, 1851, 62 et ss.*

<sup>4)</sup> Jean de Crombec naquit à Douai le 1<sup>er</sup> octobre 1558. Entré dans la compagnie de Jésus le 22 aout 1582, il fut ordonné prêtre en 1589. Après

tum rector, impigre exequitur: mortuo Lindeno mox eodem die Aqualiam excurrit, domum prioralem ingreditur, claves templi aediumque depositit, attactis altaribus, sacrisque vestibus et pulsata campana praesentibus aliquot incolis quos eum in finem advocaverat, possessionem occupat nomine rectoris Luxemburgensis, omnes ministros officiosque interim, dum aliter ab ipso decernatur, in officiis relinquit: simul omnia Becano per certum tabellarium significat. Hic illico Benninckio praesidi et concilio rei statum exponit, simul iter Aqualiam versus aggreditur. Concilium interea mandatum in forma solemni exponit iubetque Georgium de Waha<sup>1)</sup>, praepositum Rupensem, nomine serenissimorum archiducum Aqualiam proficisci ac prioratum vacantem cum omnibus iuribus, censibus et fructibus collegio societatis Iesu Luxemburgensi addicere atque omnibus subditis et officiatis ditionis istius imperare regis suminorumque principum auctoritate, ut nullum nisi collegii Luxemburgensis rectorem pro domino habeant, illi iura censusque omnes deinceps persolvant et in rebus universis fidos probosque subditos illi uni se exhibeant. Eo mandato accepto Waha assumpto secum Ioanne Favagio<sup>2)</sup>, scriba Rupensi, uti iussus erat, et aliquot aliis comitibus Aqualiam 18<sup>a</sup> Iulii abiit. Eodem die venit illuc Leodio Becanus cum Leodiensi rectore aliisque Patribus; venienti extra vicum praetor, scabini caeterique subditi cum loci parocho obviam tanquam novo domino processerunt, cumque eum venerabundi salutassent in templum S. Petri comitati solemniter hymno ambrosiano in dominum induxerunt. Adfuit dein Waha cum suis, cum quo Patres collocuti communi concilio decreverunt postridie 19 iulii populum omnem evocare ad iure-iurandum de more praestandum; id per praetorem praepositus Waha edici iussit. Mandatis loci magistratus subditique omnes

---

avoir professé successivement la poésie et la rhétorique, il fut appelé à diriger d'abord le collège de Saint-Omer, puis celui de Liège, à la tête duquel il resta 7 ans. Profès des quatre vœux en 1599, il devint assistant du provincial de Belgique. Il aimait l'étude des sciences sacrées et publia deux traités, intitulés l'un de *Perfectione*, l'autre, de *Oratione*. Il mourut à Saint-Omer le 2 octobre 1626. (Note communiquée par le R. P. van Meurs S. I.).

<sup>1)</sup> Georges de Waha, dit Baillonville, seigneur de Laroche. Voy. *Tandel, op. cit.*, V, 397.

<sup>2)</sup> Favaige Jean, greffier de Laroche, cité par M. Tandel, *Communes luxembourgeoises*, V, 116.

libenter paruerunt, atque die insequenti mature in templo S. Petri de more omnes Aqualienses adfuerunt, ubi postquam sacrosancto missae sacrificio Becanus divinam opem implo-ravit, Waha litteras et mandata regii senatus exhibet et verbis exponit; tum Becanum rogit ut de more iuramento se obstrin-gat erga subditos, quod ille praestit in haec verba: „Ego Theodorus Becanus, rector collegii societatis Iesu Luxemburgi erecti, promitto in verbo sacerdotis tam pro me quam pro suc-cessoribus meis, quod tuebor et servabo inviolabiliter subditis et incolis huius dominii Aqualiensis omnia ipsorum privilegia et immunitates, quantum potero et quemadmodum ab omni tempore domini priores ad solatium et levamen subditorum suorum obligati fuerunt“. Deinde vero Waha hortatur populum ut vicissim novo domino se iureiurando obstringant, quod nonnihil inter se collocuti praestiterunt in haec verba: „Nos subditi et incolae dominii Aqualiensis iuramus eo iuramento quo tenemur Deo Ecclesiae et domino, promittimus omnem fidelitatem et debitam obedientiam Patri Theodoro Becano, rectori collegii Luxemburgensis eiusque successoribus et locum tenentibus, et quod nunc et in futurum habebimus eos pro bonis et legitimis nostris dominis, et quod tuebimur eorum iura, privilegia, bona, praeeminentias et auctoritatem, prout fidi subditi erga dominos suos tenentur. Ita nos Deus adiuvet et sancti eius“. Edito et admisso a Becano iureiurando, Waha nomine regii concilii declaravit census omnes, redditus ac fruc-tus istius prioratus inde ab obitu Lindeni collegio societatis Iesu obvenisse, proinde vetuit quicquam ex illis alteri quam novo domino persolvi sub poena iteratae solutionis praestandae. Quibus expeditis Becanus cum Patribus, praetore et aliquot de magistratu Aqualensi, Waha cum suis simul omnes in pagum Remotocampum perreverunt, ubi magistratum subditosque, uti pridie edictum fuerat, congregatos repererunt: in ponticulo igitur, qui hoc nomine celebris est, Waha eadem quae Aqualiae subditis proposuit, tum eodem ritu iisdemque pene verbis, uti ibi factum, Becanus et vicissim subditi iureiurando se mutuo obligarunt, mandatum quoque omnibus, ut fructus a morte Lindeni pendentes nulli alteri quam novo domino penderent. Praetor deinde scabinique atque etiam advocati domini de

Monte Iardino vicarius in eodem loco peculiariter novo domino iurarunt, quod ipsum Aqualiensis praetor et scabini, postquam Aqualiam Becanus rediit, in domo priorali praestiterunt. Et quia non pauci feuda a domino Aqualensi tenent, adfuerunt etiam 21. iulii sequenti omnes vasalli seu feudatarii qui speciali iuramento simili fere iis quae alii praestiterant Becano eiusque successoribus se addixerunt, uti et vicissim Becanus se eorum iura et privilegia servaturum iuravit. Atque in hunc modum prioratus et dominii illius possessio collegio Luxemburgensi tradita et acquisita fuit, nemine prorsus vel minimum repugnante. Atque ut etiam securior et tranquillior esset ea possessio, Waha priori Aqualensi praecepit, ut, si quis alias eam quoconque titulo aut praetextu peteret, ei se ipse omnibus viribus opponeret idque nomine regiae maiestatis et summorum principum. Porro in hodiernum usque diem repertus est nemo qui in illo prioratu quicquam iuris sibi postulavit. Becanus, rebus Aqualiae compositis, dum Luxemburgum revertitur, per pagum Ruptocampum (vulgo Rachamps dictum) transit, et quod illius pagi aliorumque annexorum dominium Aqualensi a prima fundatione uti ex supradictis constat unitum sit, etiam curia et subditi illius ditionis in templo parochiali Ruptocampensi congregati iureiurando se rectori collegii Luxemburgensis addixerunt et hic econtra illis eadem qua supra dictum est forma, quod factum 26 iulii.

Habet quidem societas cur Benninckio eiusque posteris gratiam semper agat, cuius directione et favore tunc factum, ut tam pacifice et quiete prioratus istius ditionis adipisceretur. Sed et Houstio primo negotii totius motori et actori agendaे gratiae, qui etiam hoc tempore Bruxellis superstes in concilio regio sanctiori nullam omittebat occasionem coeptum collegii opus promovendi atque pro huius etiam prioratus consecutione faciliiori effecit, ut litterae nomine Suae Celsitudinis ad concilium Luxemburgense mitterentur, quibus iubebatur dare operam, ut Aqualia collegio statim acquireretur. Verum suavissimae divini numinis providentiae debentur omnia: haec enim societati tales tantosque patronos submisit, et ad sustendandos novos lectores collegii recens inchoati alimenta hac ratione subministravit.

Eodem anno pro Chiniacensis prioratus recuperatione

nonnihil allaboravit abbas S. Arnulphi Metensis. Erat is Carolus Senetonius,<sup>1)</sup> qui defuncto Desiderio Tossano successerat: hic initio regiminis una cum Floretio Clementi VIII. P. M. libellum obtulit, quo supplex petiit, ut de causa Chiniacensis prioratus quem a monasterio suo per PP. collegii Luxemburgensis abruptum dicebat, cognoscere vel eius quaestitionis iudicium decano collegiae ecclesiae Ivodiensis Iacobo Dallamontio<sup>2)</sup> committere vellet. Porro ad S. Sem inducendam multa eaque fere falsa proponebat: suos nimirum religiosos Chiniensi prioratu pulsos et spoliatos, homines societatis se illuc vi intrusisse; non esse locum illum prioratum, sed grangiam duntaxat et membrum quoddam monasterii sui; priores ibi constitui semper solitos ad nutum amovibiles, eos nonnisi necessaria ad victimum inde percipere, reliqua monasterio cedere; quae omnia cum partim ex antedictis, partim aliunde constet esse falsissima, a S. Sede tamen, ad evitandam iustitiae denegatae calumniam, controversiae huius iudicium praefato decano Ivodiensi per bullam apostolicam hoc anno 3<sup>o</sup> iunii expeditam delegatum est. Sennetonius mox, ubi bullam adeptus fuit, eius exemplar ad decanum Dallamontium misit rogatque ut de tempore iudicii inchoandi deliberare et statuere utque iurisperitum quempiam assessorem, prout bulla exigebat, designare dignetur. Verum Dallamontius cognita satis controversiae istius difficultate tergiversari coepit et corporis infirmitatem aliaque cur huic negotio intendere non possit praetexere: nihilominus se pontificis maximi iussui obtemperaturum aiebat, si prius serenissimorum principum Belgii consensus obtineretur, sine quorum licentia et ut vocant placeto nefas aiebat quemquam in Luxemburgica ditione de causis ecclesiasticis cognoscere aut iudicia habere. Sennetonius igitur, comperto quod ad serenissimorum princi-

<sup>1)</sup> Charles de Senneton, 47<sup>e</sup> abbé de St. Arnould de Metz. Voy. Baillet, *op. cit. p. 570 et ss.*

<sup>2)</sup> La famille d'Allamont est venue vers la fin du 15<sup>e</sup> siècle habiter la partie de l'ancien pays de Luxembourg qui a été depuis cédée à la France. Elle y possédait les terres de Malandry, Brandeville, etc., arrière-fiefs luxembourgeois. Jacques d'Allamont, doyen de l'église collégiale d'Ivoix et protonotaire apostolique, fut le troisième fils d'Antoine d'Allamont dont le roi d'Espagne récompensa en 1550 les brillants services en le nommant gouverneur civil et militaire de Montmédy. Voy. Neyen, *Biographie luxembourgeoise*, I, 14.

pum concilia ante omnia accedendum foret, cum satis sciret ea nequaquam permissura, ut quicquam circa collegii Luxemburgensis fundationem turbaretur, sed potius pontifici maximo veriore et ampliorem de causa hac instructionem esse datura, qua omnem suum conatum evertendum facile videbat, satius putavit, exortam litigii telam quamprimum praescindere et inutilibus sumptibus parcere. Ita collegium, nube illa adversorum conatum dissipata, imperturbatum neque ex illo tempore usque in hodiernum diem iuridice contra societatem pro prioratu praefato quicquam est actum.

Anno 1604 sociorum etiam auctus est numerus; nam iis quos superiore anno recensuimus tres alii accesserunt, ita ut 15 iam numerentur. Cum nostrorum numero populi quoque pietas, quae non in civitate tantum se prodidit in divinis mysteriis, sacrificiis, concionibus et catesibus, quae sine intermissione habebantur, frequentandis, verum etiam in pagis et oppidis vicinis, ad quae nostri sacerdotes excurrissent, non exiguum est concitatus animorum motus, et popelli rusticani fervore similis quem in exordio nascentis ecclesiae fuisse accepimus. Reliqua etiam charitatis officia iam saepius annis superioribus commemorata, nimirum erga infirmos, morientes, carcere detentos, suppicio extremo destinatos indefesso studio a Patribus exhibita, nihil attinet repetere, quae etiam in hodiernum usque diem non cessarunt.

Felici illi collegii cursui plura interim importune intervererunt. In primis mors P. Frederici Overbach<sup>1)</sup> (Overbeke), concionatoris celebris, in quo viro praeter pietatem et virtutem insignem multa erat facundia et ad populum ad meliora incitandum eloquentiae vis. Tum lues contagiosa, quae tam in civitate quam vicinis locis serpere coepit ac plurimos cives domo abesse coegerit, in quo tamen malo et periculo illud fuit mirabile, quod cum non pauci ruri tam ex urbe ad nostros ut de peccatis confiterentur, accurrerent, qui se lue iam affectos fatebantur, nullus tamen ex eorum auditione aut afflatu pestiferum quicquam hauserit et faventem divinae providentiae curam prae-

<sup>1)</sup> Le P. Frédéric Overbach, westphalien, était âgé de 29 ans lorsqu'il entra le 16 mai 1575 dans la Compagnie de Jésus. Après avoir fait sa philosophie et sa théologie à Rome, il enseigna les humanités. Il mourut à Luxembourg en 1606.

Patrum charitate etiam posterioribus annis in simili periculo observare fuit. Scholarum quoque exercitia ab hac contagio detrimentum passa sunt, multis auditoribus ob eius metum delapsis. Nihilominus malo postmodum remisso frequentes reversi sunt et ad numerum 300 excreverunt. Ab his mense septembri comoedia in theatro exhibita admirationem et applausum tanquam res nova obtinuit. Praemia quoque ex liberali senatus regii donatione tum primum diligentioribus et eruditioribus distributa. Fovendis porro et animandis scholasticis aequae ac professoribus multa Benninckius praeses exquirebat et tribuebat: inter alia singulis pene mensibus eos qui iuventutem in scholis erudiebant ad mensam suam adhibebat et amicis familiaribusque colloquiis recreabat.

Hoc etiam anno congregationis Parthenicae sub titulo Deiparae Virginis Annuntiatae initium est factum, cui cum plures viri ecclesiastici ac seculares eruditi nomina sua de-dissent et festo Assumptionis B. V. M. primum convenissent, P. Iacobus Stratius<sup>1)</sup>, vir in Belgio ob virtutem celebris, primam ad eos orationem habuit multa pietate et eruditione refertam. Sacello nostro praeter dona complura illud praecipue attulit venerationem, quod abbates duo Epternacensis et Monasteriensis insignes de suis reliquias dederunt: ille quidem praeter S. Barbarae, quas supra recensuimus, etiam S. Willibrordi partem, hic vero de spongia Christi, de chirotheca pontificali S. Materni, de S. Simone apostolo particulas authenticis testimonii confirmatas obtulit.

Hoc anno mense maio vitam clausit annis et meritis gravis princeps et comes Petrus Ernestus Mansfeldius. Attigit is annum pene 90<sup>um</sup> aetatis, quam regi et patriae totam impendit. Carolo V caesari invicto in Africana expeditione qua Tunetanum regnum occupavit anno 1535 adfuerat, inde Philippo II regi in summis belli et pacis officiis serviverat: exercitus in

---

<sup>1)</sup> Le P. Jacques Stratius est né à Anvers le 28 novembre 1559. Il fit ses humanités dans sa ville natale. Il entra dans la Compagnie de Jésus à Louvain le 20 janvier 1580. Après avoir enseigné les humanités pendant six années, il fut ordonné prêtre en 1590, puis dirigea les collèges de Louvain et de Bruges. Jugé dès lors comme un sujet du plus haut mérite, il avait été nommé successivement assistant du Père Provincial et du P. Visitateur, lorsqu'il fut appelé à la tête de la province Flandro-Belgique. Il mourut à Louvain le 7 avril 1634.

Gallia duxerat, praeliis et victoriis ad S. Quintinum<sup>1)</sup> a Philippo II et ad Monconturium<sup>2)</sup> a Carolo IX Galliae rege habitis, cui adversus Hugonottos auxiliaris cum copiis missus fuerat, vulnera acceperat et magna victoriae causa extiterat. Belgii totius gubernacula, Parmensi absente vel mortuo, saepius rexerat; at demum in ducatus Luxemburgensis regimine, in quo LIX annos transegerat, vitam placide finivit. Vir apud omnes summos infimosque huius ditionis in magno pretio, ob intactam erga Deum et homines fidem, ob res maximas gestas, sapientiam, munificentiam, in bellicis politicisque rebus experientiam. Quodsi ex militari illa in qua tot annis vixerat licentia naevus quispiam viro caeteroquin praestantissimo adhaesit, eum poenitentia eleemosynisque largiter in pauperes distributis expiatum felix eius exitus confidere nos iubet. Morienti Becanus adfuit et ad iter immortalitatis fortiter ineundum est adhortatus. Corpus eius ad sacellum quod ad Franciscanorum templum exstrui curaverat et insigni epitaphio adornari, magnifica pompa est delatum. Exstant etiam magnificentiae illius vestigia in hortis suburbanis qui hodie ob aedificiorum, fontium et lucorum amoenitatem aequa ac sumptus omnibus admirationi sunt, esto statuis, picturis aliisque ornamenti suis spoliati sint, quae iussu regis catholici (cui fundum illum Mansfeldius legavit) in Hispanias devecta regias domus modo isthic exornant. Atque de iis quae in urbe hoc anno gesta sunt hactenus.

Foris in prioratum omnium possessione collegium quiete permansit. In Aqualensi tamen ditione ob antiquam de Proambuli seu Poralleae usibus controversiam insignis hoc anno perturbatio exorta fuit, quae ut melius intelligatur operae pretium facturus mihi videor, si primam eius originem paucis a capite accersam, quando etiam posterioribus ea controversia

<sup>1)</sup> Mansfeld eut part à la victoire que les Espagnols, commandés par Emmanuel Philibert, remportèrent en 1557 sur le connétable de Montmorency à la célèbre bataille dite *de Saint-Quentin*. La ville, située dans le département de l'Aisne, ne reçut son nom moderne qu'au IX<sup>e</sup> siècle, lorsque les reliques de saint Quentin, qui souffrit le martyre dans le Vermandois en 287, y eurent été transportées.

<sup>2)</sup> Mansfeld avait su défendre Luxembourg contre le duc de Guise. Il amena l'année suivante des secours à Charles IX contre les protestants. Il se signala tellement à la journée de Montcontour que le roi de France lui écrivit de sa propre main une lettre très flatteuse.

non semel recruduit. Poralleae seu Preambuli nomine insignita est magna pars fundi prioratus Aqualiensis, quae a flumine Amblaviae usque ad fines marchionatus Francimontani<sup>1)</sup> Leodiensis ditionis late extenditur et a lateribus Stabulausio et Limburgensi principatibus terminatur. Iurisdictio omnis in hunc fundum (excepta suprema quae principum est) ad dominum Aqualensem semper pertinuit, sed quia multi ex eo fructus nimirum pascuorum, agriculturae et lignationis percipi possunt, de his inter incolas utriusque ditionis pridem magna fuit quaestio concitata; nam Aqualenses eorumque consortes pro indubitate habent, quod nemini nisi iis qui fundum Poralleae inhabitant fas sit de fructibus illius participare; e contra Becuani<sup>2)</sup> et Redienses<sup>3)</sup> incolae pagorum in Franchimontana ditione sitorum et extra fundum Poralleae habitantes ius praedictorum fructuum praetendunt et ab aliquot seculis, nequicquam obstantibus et contradicentibus Aqualensibus, eos usurpare coeperunt. Hinc frequenter exortae violentaeque rusticorum vicinorum contentiones, frequentia etiam apud omnia pene tribunalia litigia, apud duces Burgundiae, magistratum et principes Leo-dienses, caesarem Maximilianum et alios. Quorum omnium iudicia et sententiae tametsi pro Aqualensibus steterint, non cessarunt tamen Becuani et Redienses fundum illum occupare, in eo lignare, pascere, serere, adeo ut ingentes sylvae, quae ab hominum memoria extiterunt, funditus pene eversae fuerint. Multum in hoc negotio laboraverat is, qui proxime ante societatem prioratum Aqualensem possederat, Lindenus, et coram Ernesto Bavarо, Leodiensi principe, pluribus annis cum Becuanis iudicio contenderat, sententiam faventem obtinuerat, qua iubebantur adversarii certa Poralleae portione contenti a reliqua abstinere, prout anno 1589 in arce Froidecurtia<sup>4)</sup> inter partes amice conventum erat. Verum, tametsi aliqui ex incolis

<sup>1)</sup> La petite ville de Franchimont, autrefois fortifiée, (prov. de Liège, à trois lieues de Verviers) rappelle le nom du marquisat de Franchimont dont il est question ici.

<sup>2)</sup> Becuani, les habitants de Beco ou Becco, province de Liège, sur la frontière de l'ancien magistrat de Franchimont.

<sup>3)</sup> Redienses, les habitants de La Reid, prov. de Liège, canton de Spa, à quelque distance de Beco et de la commune de Theux.

<sup>4)</sup> Château de Froidecour, dép. de Stoumont, prov. de Liège, canton de Spa.

Francimontanis huic se sententiae submitterent, eamque amplexi deinceps quieverunt, non cesserunt tamen illi Becuani et Rodienses, qui in antiqua usurpatione sine limite aut modo perseverarunt. Lindenus igitur, cum frustra legibus et iudicium sententiis cum hominibus illis agi animadverteret, vim vi repellendum ratus, pecora fruges omniaque Becuanorum et consortium in fundo isto reperta identidem per satellites suos et subditos auferri et auctione dividi curavit, et talia agitantem mors superiori anno occupavit. Collegio societatis in prioratum introducto, videbatur negotium illud violentum nonnihil respirare et motus ille conquiescere, nisi casus quidam interveniens maiores excitasset turbas. Erat hoc anno in pago Remotocampo militum coliorum sub centurione Cobrevillio;<sup>1)</sup> hi sive ab Aqualiensibus excitati sive Lindenii exemplo seu sua potius cupiditate impulsi, ipso Paschali die in Poralleam excurrunt pecora omnia Becuanorum et consortium, equos, boves vaccasque abducunt Aqualiam. Efferati Becuani vindictam haud diu differunt; arma illico arripiunt, Aqualiam properant et flumine traecto populum inermem in templo precibus vespertinis solemnii illo die occupatum obruunt, in illum tametsi innocentem iram effundunt, multos ex iis vulnerant, aliquos trucidant, donec Aqualientes obviis armis quae necessitas et metus mortis subministrabant, lapidibus, rudibus, ipsorum adversariorum sclopeticis ex eorum manibus extortis eos vi repulerunt. Pecora deinde abducta dominis suis restituunt et ab armis utrinque discedunt. Verum Aqualientes, qui se innocentes semper professi sunt, illatae illius iniuriae caediumque reparationem pluribus sequentibus annis instanter postularunt et Becano eiusque successoribus multum laborandum fuit, ut animi turbati componerentur, ut suis temporibus narrabitur.

Redeo ad res collegii quod anno 1605 18 personas sustentabat: sacerdotes 9, praeceptratores non sacerdotes 2, novitium studiosum 1, coadiutores 6, qui ingentem animarum fructum

<sup>1)</sup> Il s'agit probablement de Pierre-Ernest de Cobreville, seigneur de Guirsch, Morhet et Cobreville (décanat de Bastogne, commune de Nives), seul fils survivant de ce Jean de Cobreville qui fut nommé en 1584 prévôt de Bastogne et de Wiltz, en remplacement du baron de Wiltz, promu aux fonctions de gouverneur de Thionville. Voy. Louhay, G., *Résumé historique des derniers siècles de la seigneurie de Cobreville, dans Tandel, op. cit., IV, 564 et ss.*

domi forisque procurabant. Eius rei indicium fuit luculentum maximus populi universi erga societatem amor, reverentia et existimatio, quae omnibus aliunde Luxemburgum venientibus merito erat stupori. Confitentium de peccatis et eucharistiam percipientium hoc anno numerus insigniter crevit. Adiumento fuit iubilaeum a Paulo V. P. M. concessum: nam quibus diebus illius obtinendi potestas erat, tantum non obruebantur PP. in sacris poenitentiae tribunalibus a civica rusticanaque turba. Multae de tota vita institutae exomologeses, res iniuste detentae suis heris restituae, haeresis a duobus eiurata. Fuerunt etiam plures, qui domi nostrae in sacro secessu animo excolendo piis commentationibus vacarent. Praeter statas conciones et catecheses illud etiam hoc anno additum, ut exhortationes in sacello nostro gallico idiomate haberentur. Causam huic novitati praebuit excellentissimus dominus Florentius comes Berlaymont<sup>1)</sup>, recens ditionis Luxemburgensis factus gubernator, cuius dominae coniugi, cum linguae germanicae ignara foret, hac nimirum in parte gratificandum fuit, quippe cum societatis pridem in piis ad animum spectantibus instructionibus sectatrix assidua fuisset neque minore benevolentia comes ipse societati afficeretur. Ad congregationem Parthenicam Deiparae anno superiore pro viris litteratis et provectionibus scholasticis inchoatam adiecta est altera angelica puerorum, in qua nimirum adolescentuli inferiorum classium ad pietatem instituerentur. Scholae vero ipsae tum profectu tum numero adolescentium efflorescebant in dies magis magisque, et hoc ipso anno qui ab exordio lectionum tertius, 385 numerabantur auditores. Profuit illis quod hoc anno ad quatuor inferiores classis Rhetoricae fuerit adiecta. Cum vero de more in studiorum renovatione in

---

<sup>1)</sup> Berlaymont (Florent, comte de), mort à Namur le 8 avril 1626. Il était fils puîné de Charles, seigneur de Berlaymont, créé comte en 1574, et d'Adrienne de Ligne. Florent de Berlaymont fut d'abord chanoine-tréfondier de la cathédrale de Liège, puis, lorsqu'il prévit que ses frères ne laisseraient pas de postérité, il jeta le froc aux orties et embrassa la carrière des armes. Après avoir servi sous son frère Gilles, il lui succéda en 1579 dans le gouvernement des provinces de Namur et de l'Artois. Il devint gouverneur de Luxembourg le 6 juillet 1604. Le 15 février 1608, il se fit donner dans son palais une seconde représentation d'un drame que les élèves du collège avaient joué la veille avec beaucoup de succès dans la salle des fêtes de l'établissement. *Biographie nationale publiée par l'Académie royale de Belgique, II, 255. Historia Academie luxemburgensis, 8.*

theatro comoedia venusta exhibita fuissest spectantibus patriae ordinibus, qui id temporis ad comitia frequentes convenerant, ea ita placuit universis, ut ad scholarum novarum aedificium 3000 florenorum brabanticorum e communi patriae aerario assignarint. Exstitit etiam privatorum quorundam erga collegium beneficentia, quorum alii pretiosa sacello ornamenta, alii pecuniae summam donarunt. Atque haec quidem intra civitatis moenia gesta sunt feliciter omnino et cum Dei hominumque faventia. Foris vero cum rusticani hominibus multus sane hoc anno fuit et labor et fructus. Ad sacerdotem nostrum, qui tam ad vicinos quam remotos pagos excurrebat, et qua concionibus qua catechesibus rudem illum populum e densis ignorantiae tenebris extrahebat, ingens undique fiebat concursus: erat subinde videre 4 aut 5 pagos in unum confluentes, adeo ut cum templorum angustiae auditores non caperent, foris et sub dio verba essent de Deo facienda. Etiam ruri ac in civitate erat insolitum saepius in anno sacramenta poenitentiae et eucharistiae frequentare; id tunc simplici illi populo persuasum primum fuit et propositis indulgentiis a Clemente VIII P. M. missionibus concessis omnes inducti sunt ad animum expandum et coelesti epulo instaurandum. Evenit subinde, ut in pagis nonnullis vicinis unus sacerdos noster non foret satis et proinde certis diebus duo, tres aut etiam plures emittendi forent, qui aures confitentibus paeberent, quin imo nonnulli cum temporis aut loci angustiis arcerentur, in via Patri peccata sua ambulantes denuntiarent, allii turmatim in urbem ad nostros accurrerent. Illud quoque memorandum in primis videtur, quod cum ante illud tempus rudis ille populus certam precandi in rosarii corona consuetudinem non haberet, quin imino saepe saepius ii, qui eiusmodi precarios globulos gestarent, sannas obtrectationesve paterentur, sacerdotis nostri industria et adhortatione factum, ut plerique illam precandi formulam usurparent et intrepide sera illa sacra, dum iter facerent, ad templum accederent, sacris interessent, palam circumferrent. Quae pietas eodem Patre stimulante et instantे annis consequentibus, ut constat, multa aucta est magna cum Dei Deiparaeque laude atque ipsius etiam merito haud dubie et aeterna corona. Quibus omnibus studiis et laboribus ingens mox fructus in

pagis apparuit, nimirum Dei timor maior et devotio, et nihil aequae bonis hominibus dolori erat atque raritas et paucitas nostrorum Patrum, quae obstabat quominus possint ad oppida et pagos saepius uti petebatur excurrere. Erat tunc messis multa, operarii pauci. Adlaborabant strenue huic bono operi non pauci parochi, apud quos tantum auctoritatis iam acquisiverat societas, ut quem pro concione quippiam auditoribus persuasum cuperent, hoc uno adjecto, se illud ab homine societatis accepisse, fidem omnino habendam putarent. Tanti refert virtutis integratitatisque et sinceritatis famam bonis actionibus tueri.

E vivis hoc anno sublatus est, magno patriae Luxemburgensis potissimum et societatis damno, vir amplissimus Antonius Houstius, eques auratus, regis in concilio privato consiliarius. Quantae vir ille fuerit virtutis, sapientiae, pietatis, posteri vix credent. Certe collegii Luxemburgensis fundatio, quam ille tanto studio contra tot adversarios et impedimenta, quae undique obiiciebantur, procurare coepit et ad eum quem narravimus statum produxit, constantis et inconcussae pietatis illius vel sola sufficiens est testimonium. Iam innotuerat tanta viri virtus Alberto Archiduci qui indubie eum ad summa officia promovisset, si vita longior ei concessa fuisset. Ab eodem missus erat ob certa negotia Binchium Hannoniae oppidum<sup>1)</sup>, ea spe quod aura illius loci salubriore languorem quo affligebatur pellere posset; verum secus evenit: morbi vis aucta mortem praestanti viro attulit. Funus deinde Bruxellas devectum in templo Capella dicto depositum est.

Redeo ad res in Luxemburgica ditione gestas. Pro sedando tumultu Aqualienses et Franchimontanos inter exorto anno superiore Becanus magnam operam impendit. Prudentium et bonorum virorum consilium erat, ut controversia illa amice componeretur et utriusque partis consensu arbitri aliqui constituerentur qui de re cognoscerent et sententiam ferrent. Placebat consilium Bucuanis et consortibus, verum Aqualiensibus neutram, qui novo arbitrio opus esse non putabant, quod ea quaestio iam saepius principum et arbitrorum sententia decisa foret. Nihilominus Ioannes Crombecius, Leodiensis rector, pacis

<sup>1)</sup> Binche, ville de Belgique (Hainaut), sur la Haine, à quatre lieues de Charleroi.

componendae causa, assumpto Stephano Hosquio, consiliario principis Leodiensis, se pro arbitro gessit, ratus se Aqualienses velut societatis subditos facile in suam sententiam adducturum. Becanus ipse hoc tempore mense iulio Aqualiam et Leodium venit, subditos et trium curiarum scabinos praesertim conatus est inducere ut rectoris Leodiensis et Hosquii sententiae starent; verum illi fortiter contra protestati sunt, palam dictantes se ab iis, quae pridem iudicata etiam ab ipso Ernesto principe fuisse, nunquam discessuros. Quin immo concilium ipsum Luxemburgense litteras re comperta ad Becanum misit quibus eum hortabatur, ne causam subditorum regiorum externis arbitrari subiici pateretur. Ita Becanus multo labore impenso cum exiguo fructu domum reverti coactus est.

Anno 1606 collegium novemdecim personas sustentavit, nimirum sacerdotes 9, humaniorum litterarum professores 4, coadiutores 6. Atque etiam ut venturis annis operarii non deessent, summi patrisfamilias cura vigilabat, qui ex hoc novali coepit insignes adolescentes his temporibus in societatem evocare, quorum exemplum plures, etiam praecipuarum familiarum postmodum secuti sunt. Pro animarum salute tum ea quae supra recensuimus domi forisque constanter a Patribus actitata cum pari fructu, tum illud praecipue ut verecundioribus et honestis pauperioribus de eleemosynis prospiceretur. Ad haec ab haeresi Lutherana non pauci ad ecclesiae gremium revocati, quorum non exiguis erat numerus in serenissimi archiducis legionibus; unus istius farinae homo, cum sacerdotem nostrum de verae ecclesiae notis verba facientem audivisset, ita repente commotus fuit, ut in patriam redire noluerit, nisi errore prius abiurato sacris poenitentiae et eucharistiae roboraretur. Miles eiusdem sectae illicitae concubinae consuetudine infamis eo demum piis nostrorum adhortationibus induci se est passus, ut et errorem simul et peccandi nefandam illecebram excuteret, admissaque fidei veritate in matrimonio potius quam scelerato contubernio vitam degeret. Eodem referendum quod puellae cuidam evenit. Foris ea apud haereticum dominum ancillata fuerat annis compluribus et cum identidem, uti apud homines tales moris est, calumnias iniuriasque in sacerdotes et res sacras contorqueri audivisset, eum demum sacerdotum horrorem con-

cepit, ut tartareis spiritibus potius quam illis mallet occurrere. Ubi vero Luxemburgum reversa pristinam templa adeundi sa- craque obeundi consuetudinem resumere statuit, incredibili mentis angore et satanae illusionibus perturbari se sensit, quibus tamen tum omnino liberata est, cum animo forti ad sacram poenitentiae tribunal nequicquam hoste tartareo obganniente prorupit: mente enim a peccatis expiata et sacrosancta eucharistia percepta pacem summam et animi tranquillitatem est adepta. Matrona quaedam, cum a nostrorum consortio multum ab horreret et in morbum incidisset, eos ad se accersiri tum primum iussit; neque vero poenituit: tantum enim ex eorum consortio solatii percepit, ut deinceps usque ad ultimum spiritum eos sibi adesse voluerit. Alia quum diu gravissimis partus doloribus de vita periclitaretur, etiam rationis usu privata esset, nostris suadentibus parentes Sanctissimam Virginem invocarunt votoque illam in Monteacuto honorandi facto, mox puerpera prolem enixa est, quae illico baptismo suscepto in coelum abiit, ipsa vero mater paulo post pristinam integrumque sanitatem recuperavit.

Scholasticorum externorum numerus hoc anno ad 400 excrevit. In studiorum renovatione orationes antagonisticae habitae et diligentioribus praemia distributa ex XIII virorum praepositurae Luxemburgensis<sup>1)</sup> munificentia et liberalitate.

Illud scholasticis functionibus maxime incommodum erat, quod loca et classes iis idoneae deessent, itaque pecunia illa quam a patriae ordinibus anno superiore donatam diximus impendi coepta, iactisque fundamentis 10 aprilis ingens aedificii moles intra paucos menses in non contemnendam altitudinem excrevit. Crevit quoque anno piorum hominum liberalitate sacra suppellex, adjectis duobus calicibus inauratis, casulis pluribus aliisque id genus ornamentis; praecipuum vero sacello splendorem conciliavit altaris tabula acute picta et pluribus sanctorum sacris lipsanis locupletata, quam unus e nostris ex munificentia Luxemburgensium auro argentoque contexit.

<sup>1)</sup> M. van Werveke croit qu'il faut entendre ici *praepositura* dans le sens de *siege prévôtal*. Le siège prévôtal était composé du prévôt de Luxembourg, des maires ou justiciers de Puttelange, Clémency, Bettingen, Sandweiler, Kehlen, Lintgen, Schuttrange comme assesseurs ou probstmannen, ainsi que des sergents prévôtaux. Voy. aussi *Historia Academiae Luxemburgensis, 1606*.

Dona in sacrum ornatum hoc anno 1606 collata 950 florenis  
brabanticis aestimata sunt.

Sequenti anno 1607 numerus domesticorum, cum ad vicesimum auctus esset, mox ad novendenarium decrevit, evocato nimirum ad meliorem vitam Mo Hartlibio<sup>1)</sup> (Ioanne), rudimentorum professore, qui paucis annis quos in officio illo scholastico et in societate impenderat aeternam meritus est coronam. Erat is in Germania, primariis quidem, sed tamen haereticis parentibus natus, quin imo, ut subtiliorem hauriret haeresin, a patre Gebennam<sup>1)</sup> ad Theodorum Bezam<sup>2)</sup> audiendum fuerat puer ablegatus. Verum non sine singulari numinis cura factum, ut a patruo, non minus catholico quam illustri viro, e tanto animae periculo ereptus in Belgium destinaretur, ubi, parente nil tale suspicante, vera religione et bonis litteris est institutus. Ubi vero pater postmodum quod filio factum deprehendit, cum aliud non posset, irae minarumque plenas ad ipsum dedit litteras, quibus ab instituto eum revocare frustra est coatus, quippe cum adolescens divina ope ac SS. Virginis Deiparae, cui addictissimus erat, patrocinio oppugnationes illas facile elideret, donec etiam ad societatem ineundam animum constanter applicuit. In qua, dum vixit, multa modestiae, obe-

<sup>1)</sup> Le Père Jean Everard Hartlieb entra dans la Compagnie de Jésus, le 6 décembre 1603, à l'âge de 22 ans. Sa carrière religieuse ne fut pas longue, puisqu'il mourut déjà le 17 janvier 1607, après avoir été régent de la classe élémentaire pendant une année.

<sup>2)</sup> Genève. Cette ville s'appelle *Geneva*, chez César, Bell. Gall. I, 6; *Genava*, dans l'itinéraire d'Antonin; *civitas Gennavensis* dans la Notitia Galliarum. Elle prit plus tard les noms de *Ianoba*, *Ianuba*, *Episcopatus Ianuensis* et *Gebenna*. On se rappelle que César donne le nom de *Gebenna* aux Monts Cévennes. Bell. Gall. VII, 8.

<sup>3)</sup> Bèze Théodore, l'un des principaux chefs des Réformés, né à Vézelay dans le Nivernais en 1519, mort en 1605. Après une jeunesse assez dissipée, il se rendit à Genève en 1548. Il y renia le catholicisme et se lia étroitement avec Calvin. Ce fut lui qui attira au protestantisme le roi de Navarre. A la mort de Calvin, en 1564, il fut universellement regardé comme le chef de la Réforme. Il ne cessa jusqu'à sa fin de travailler avec le plus grand zèle à la propagation de ses doctrines. Théodore de Bèze porta dans la controverse une violence excessive. Bossuet, dans le jugement très sévère qu'il porte de Bèze, lui reproche ses prêches séditieux, la joie qu'il fit éclater, ainsi que tout son parti, à la mort du duc de Guise, et le soin qu'il prit pour donner à un assassinat la couleur d'une action inspirée. Les écrits nombreux de Bèze sont presque oubliés, et l'on ne chante même plus dans les églises réformées sa traduction en vers des psaumes de David, qui avait été commencée par Marot. Voy. *Lentient, La satire en France*, I, 170 et ss.

dientiae et devotionis edidit opera, quae etiam in extremo morbo potissimum spectata sunt, quando cibum, renitente etiam stomacho, ad primam obedientiae aut B. P. Ignatii mentionem sumebat; orando usque ad extremum spiritum vitam demum finivit.

Qui superstites fuerant strenue consuetis muneribus, et quantus labori fructus responderit, hinc colligas, quod communicantium fere 14,000 in sacello nostro hoc anno numerata sunt; quin etiam ad piam sacramentorum frequentiam augendam alii ordines laudanda emulatione confraternitates suas aliquantum collapsas instaurarunt.

Ad haec femineus sexus hoc tempore consecrare se Deo coepit: cum enim quibusvis virginibus ad sanctimonialium claustra sive ob paupertatem sive ob strictioris observantiae onus sive alias ob causas non pateret aditus, nonnullae, votis castitatis editis, caelibem apud suos vitam ducere decreverunt, quae res magno cum incremento et animorum bono sequentibus annis aucta est.

Ab haeresi ad fidem catholicam plures revocati, in quibus praecipue memorandus est puer 14 annorum, qui ab hera cui famulabatur Luxemburgum adductus templum quodam die est ingressus, observare coepit sacrorum Ecclesiae rituum manifestatem, simul intus divina luce ita perfundi, ut mox tam sanctae religioni se adiungere desertis patriis erroribus decreverit. Quo die igitur dominamabitum parare cognovit, ille a familia se subducere, occultare et tota die inediā pati: demum, cum heram diligenter se perquirere et discessum ea etiam de causa in sequentem diem distulisse comperit, ad collegium nostrum velut ad tutum asylum perfugere, ubi infelicis dominae iram declinavit, asserens se malle apud catholicos pane et aqua, quam apud heram et apud haereticos in summa copia vitae sustentari. Meliora a Patribus doctus et sacris poenitentiae et eucharistiae mysteriis confirmatus, catholicam vitam deinceps agit, et ab illustri viro Ravillio<sup>1)</sup>, ducatus Luxemburgensis

<sup>1)</sup> Prévôt d'Arlon depuis le 19 février 1588, Pierre Ernest de Raville fut nommé lieutenant-gouverneur du duché de Luxembourg en 1608 et le resta jusqu'en 1618. Il fut justicier des nobles du 30 avril 1613 au 14 mars 1623, date de sa mort. Voici l'article que lui consacre l'auteur du manuscrit des Viri illustres: „Petrus Ernestus a Rollingen, Luxemburgensis, dominus in

marescallo, in domesticam familiam est assumptus. Dispar omnino et infelix fuit alterius haeretici exitus, qui cum a nostris et praesertim ab Hartlibio de quo initio diximus graviter ad errores deserendos admonitus fuisset et optima consilia sperneret, subito extinctus pecoris instar in profano loco est sepultus.

Congregatio Parthenica maior, quam a biennio inchoatam diximus, hoc demum anno confirmationem accepit et sub Annuntiatae Virginis titulo primariae adiuncta est. Quae res uti primum hoc opus stabilivit in annos secuturos, ita sodalibus animos non modice adiecit; adiuvit multum exemplo suo praefectus eius sodalitii D<sup>n</sup>us ab Hohestein<sup>1)</sup>), vir nobilis aequa ac pius, qui insignem et illustrem fecerat pietatem suam, quod octava quaque ad SS. poenitentiae et eucharistiae sacramenta accederet. Contigit eo tempore scribam civitatis congregationis albo inscriptum in morbum lethalem incidere, cumque ad eum Ven. eucharistia per parochum deferenda esset, adfuit praefectus cum lectissimo quoque sodalium et facibus accensis praeluxit sacerdotemque cum SS<sup>mo</sup> ad aegroti usque lectulum anteivit. Postquam vero ille vita defunctus fuit, non modo funus sodales omnes comitati, verum etiam humeris suis ad sepulchrum detulerunt. Quae omnia charitatis christiana opera et illustriorem congregationem fecerunt et magno apud populum fuerunt exemplo.

Duae etiam aliae scholasticorum congregations, altera parthenica, angelica altera, efflorescere plurimum coepere. Scholae vero ipsae et numero auditorum auctae et insignium adolescentium splendore, quorum iam pene 500 numerabantur. Ab iis in domo civica<sup>2)</sup> in scenam productus est Petrus Telenarius, patriis ordinibus qui ad comitia convenerant spectantibus, a quibus etiam facile impetratum est, ut pro confiendo superi-

Dagstul, Kœrich, Ansenbourg, Septemfontibus, etc., marescallus et judex nobilium huius ducatus ac praepositus Arlunensis, ob totam vitam in conservatione huius ducatus et legationibus pro rege impensam, optime de patria meritus, sed præcipue quod unice promoverit aedificium templi collegii Societatis Jesu... Neyen, *op. cit.*, I, 68. — Note communiquée par M. le professeur Dr N. van Werveke.

<sup>1)</sup> Voy. la généalogie de la famille de Hohenstein dans *Humbracht, Die höchste Zierde Deutsch-Landes*, 282.

<sup>2)</sup> Sans doute l'hôtel de ville, le palais grand-ducal actuel.

ore anno coepto aedificio e communi aerario iterum subsidium conferrent, nimirum 2000 florenos brabanticos. Idem opus plures alii sua liberalitate promoverunt, ita ut mox structura ad summum fastigium perducta tecto cooperta fuerit. In studiorum consueta renovatione erudita ab uno e nostris oratio habita est, tum deinde praemia ex magistratus Luxemburgici munificentia distributa. Sacelli domestici supplex cortynis byssinis quas vir nobilis donavit pretio 225 florenis aucta est. Accessit etiam ad populi pietatem excitandam S. Virginis, prout Aspricollis colitur, statua e Brabantia allata, quae ad columnam affixa variisque ornamentiis et cereis accensis decorata venerationi populo fuit.

Iam ruri et in aliis patriae oppidis insignis industriae nostrorum exstitit fructus, praesertim in S. Viti oppido ad finem ducatus sito in diocesi Leodiensi, ubi ingenia quidem acria et flexibilia plerumque enasci solent, sed id temporis parum culta et pietatis studiis insueta erant. Egit Hubertus Croeffius, praefectus et quaestor ditionis istius, cum Becano cui erat amicissimus, ut quispiam e Patribus ad sylvescentem illum agrum nonnihil excolendum mitteretur. Quod ubi factum et sacerdos noster pro concione, parocho consentiente, indulgentiarum bullas promulgavit et exposuit, omnium a summo usque ad infimum ad sacramentum poenitentiae factus est concursus, et insignis postmodum est secuta morum in melius mutatio. Multi cum inaudita et ignota prius intelligerent, inde a vitae principio confessiones suas omnes sub incudem revo- carunt. Eadem officia in vicinis circumquaque pagis praestita, etiam apud nobiles et illustres viros, e quibus generosus dominus de Pallant<sup>1)</sup>, toparcha in Reulandt, ita societatis instrucionem amare coepit, ut eam in municipio suo sedem figere vellet; quod cum ob loci exiguitatem fieri non posset, dum in morbum incidisset, Patrem missis equis adducendum man- davit et subinde, cum valeret, Luxemburgum ad confessionem

1) La famille de Pallant, dont une branche s'est établie dans le Luxembourg, est originaire du pays de Juliers. Elle posséda la seigneurie de Reuland, à laquelle était attaché l'office de chambellan héritaire du duché de Luxembourg. Pierre Ernest de Raville, dont il a été question plus haut, avait épousé Anne de Pallant. Leur petit-fils, Henri Hartard de Raville, devint prince évêque de Spire en 1711. Voy. la notice généalogique que donne de la famille Palland ou Palland l'*Eiflia illustrata*, vol. II, 2<sup>e</sup> partie, p. 141.

peragendam accurrebat. In praefato Reulandt contigit mulierculam tenuis fortunae oculis laborare, cum periculo visus penitus perdendi. Ad eam Pater una cum toparcha praedicto cum adivisset, misella illa ad patrem converso : „vos, inquit, sancti estis et nostis omnia : fac quaequo, mi Pater, ut videam“. Ille simplicem mulieris animum admiratus confessionem eius audivit et quibus potuit verbis mulierculam solatus abiit. Sive vero Deus piam illam de societate persuasionem sic remunerari, sive Patris orationi tantum deferre voluit, constat eam ad integrum sanitatem postea rediisse. Postquam festo S. Stephani protomartyris habita concione idem Pater a S. Viti oppido inopinato discessit, primarii cives ad Croeffium quaestorem accesserunt et honorarium non contempnendum collegio dare se velle indicarunt. Verum ille quid societatis institutum ferret, homines edocuit : nimurum proximis prodesse, pro eorum salute plurimum laborare et nullam in hac vita mercedem admittere. Ita maior etiam in istorum animis mansit de societate existimatio.

Theonisvillae quoque, oppido insigni et propugnaculo ad fines ditionis Metensis sito, circa sacras Passionis et Resurrectionis dominicae ferias utiliter a Patribus fuit laboratum in SS. sacramentis administrandis. Cumque gubernator Wiltzius<sup>1)</sup> defunctae coniugi iusta persolveret, a Patre nostro concio funebris est habita, magna omnium auditorum satisfactione. Idem iam Berthelii abbatis Epternacensis<sup>2)</sup> exequis funebris est factum. Idem etiam ad tria sanctimonialium ruri sita monasteria, ubi consentientibus eorum praelatis de perfectionis studio exhortationes habitae, simul ratio illis praescripta quomodo de divinis rebus meditari et mente orare possent, in quo exercitio non impigre illae postmodum et cum magno fructu perseverarunt. Ad alios quoque urbi vicinos pagos alii identidem Patres excurrerunt cum eximio populi fructu. Operam inter se

<sup>1)</sup> Jean Ier, baron de Wiltz, lieutenant-gouverneur du duché de Luxembourg en 1574 pendant l'absence du comte de Mansfeld, gouverneur titulaire, fut nommé prévôt et gouverneur de Thionville par patentes du 20 mars 1583. Voy. *Teissier, Histoire de Thionville*, 105, 175; *Bertholet, op. cit.*, V, 114; *Neyen, op. cit.*, II, 256 et ss.

<sup>2)</sup> Bertels mourut le 19 janvier 1607 et fut inhumé dans une chapelle contiguë à l'église de son abbaye. Le nom du père jésuite qui prononça son oraison funèbre ne nous est point parvenu.

partiri solebant, ita ut socius, non sacerdos, rude vulgus et iuuentutem primum aliquanto tempore rite orare apostolorum symbolum, decalogi praecepta, aliaque id genus edoceret; succedens deinde Pater e cathedra de vitiis et virtutibus acrius verba faceret; tum deinde eos qui animum sacra confessione expiare vellent, audiret; ad quod opus nonnunquam e collegio plures Patres mitti necesse erat.

Verum praecipuum et palmare opus Patrum erat inventratam et abominandam peierandi consuetudinem populum rusticum dedocere. Quod ut facilius fieret, sodalitatem quandam sive ut vocant confraternitatem in pluribus pagis instituerunt, eam legibus quibusdam praescriptis instruxerunt, inter alia, ut minimum quater in anno in solemnioribus festis sodales peccata expiarent et eucharistiam susciperent. Habuit ea res feliciorem opinione successum, evenitque ut sodalium istorum exemplo integrae parochiae in praefatis festis SS. sacramenta praeter morem usurparent, magnaue emendatio in consueto illo iurandi et blasphemandi usu cerneretur. Atque ut illa pia exercitia bene stabilirentur, per trimestre ad eandem parochiam fiebant excursions, qua bene instructa ad aliam deinde se extendebat industria, ita tamen ut ex intervallo priores subinde reviserentur.

Contigit per id tempus res ad hominum animos a potandi consuetudine absterrendos idonea. Unus e Patribus acriter in pago in ebrietatis vitium invectus fuerat atque in caeteris ostenderat, quam multi sibi crapula vitam decurtarent; intererat praeter morem huic concioni parochus quidam hoc vitio infamis qui tantum abfuit ut monitione tam utili et seria a vitio illo deterreretur, ut etiam sequenti feria IV, iejunio ecclesiastico die solemnii, popinam ingressus vino se penitus ingurgarit. Ita potus equum concendit domumque redire cogitavit; in itinere nescio quo casu ephippio excussus et in terram lapsus cervicem infregit. Accurrit vicinus sacerdos qui ob sobrietatem et religionem aliis solebat esse contemptui hominemque ad poenitentiam est cohortatus; sed frustra fuit ac ne verbum quidem a misero illo extorquere potuit, quin imo vapor teter quidem foetidusque e faucibus exhalavit, index eius quae in animo inhaerebat turpitudinis.

Eadem circa populum rusticatum cura anno sequenti qui fuit 1608 enituit. Erat in vicinis pagis passim a multis annis introductum ut populus die sabbathi a meridie a labore omni servili feriaretur atque ad id voto se teneri plerique fatebantur ad S. Virginis Deiparae honorem; cumque non raro votum illud quamplurimi transgrederentur, visum est simplicem illam turbam hoc onere et peccandi periculo mutatione in alia pia opera facta liberare, quod sacerdos noster facile a legato pontificio Belgico cum magno populi istius solatio et fructu obtinuit.

Idem sacerdos noster per quadragesinales ferias Viandam excurrit, oppidum principibus Auriaci<sup>1)</sup> id temporis subiectum. Evocaverat illum prae nobilis et strenuus vir, tribunus Munichusius, vetus societatis nostrae ex primo uti dictum est Luxemburgum adventu amicus, qui comitatus illius ditionumque annexarum summus erat praefectus. Multus porro fuit et insolitus ille in oppido e Patris laboribus collectus fructus: ad conciones quotidianas itemque ad lectiones catechisticas magnus fiebat populi concursus, ita ut templum subinde confertam hominum multitudinem non caperet, et nisi quis mature adesset, pro foribus consistere cogeretur. Multae de tota vita exomologeses institutae. Pastores quoque vicini et religiosi qui in illo degunt oppido<sup>2)</sup>, animum confessione apud Patrem expiarunt. Erepta mili et alio mandata pellex, alteri concubina legitimo iuncta matrimonio. Cum Munichusius (qui non obstante grandi aetate e summa arce in templum parochiale ad Patrem audiendum descendere solebat) in catechesi intellexisset causas pulcherrimas, ob quas quotidianus ille pulsus ad ange-

<sup>1)</sup> La principauté d'Orange, enclavée de tous côtés dans le comté de Venaissin (auj. département de Vaucluse), passa en 1530 à René de Nassau, comte de Vianden, neveu de Philibert de Châlon ou Châlon, prince d'Orange, tué au siège de Florence en 1530. René ajouta à ses titres celui de Prince d'Orange que ses successeurs continuèrent à porter et auquel Guillaume de Nassau, dit le Taciturne, devait bientôt donner un nouvel éclat. Louis XIV annexa la principauté d'Orange en 1714; mais la maison de Nassau ne renonça pas à un titre qui devint celui de l'héritier présomptif de la couronne depuis le jour où elle commença à régner sur les Pays-Bas. Voy. Neyen, Dr Aug. Vianden et ses comtes, p. 187 et Arendt, Ch., Monographie du château de Vianden, 14.

<sup>2)</sup> Les Trinitaires, auxquels le Comte Henri I et la Comtesse Marguerite, sa femme, céderent en 1248 l'hôpital qu'ils avaient bâti peu de temps auparavant. Neyen, Dr Aug., Histoire de la ville de Vianden et de ses comtes, p. 80 et ss.

licae salutationis et praecipuorum mysteriorum memoriam in ecclesia institutus foret, voluit etiam in arce signum eiusmodi certis horis diei aere campano dari, quod illo ex tempore fieri coeptum. Dissidentes inter se conciliati sunt, praesertim duo viri nobiles iidemque fratres qui magno populi gaudio et approbatione sacra mysteria adierunt. Militibus aegrotantibus opera frequens est praestita: unus illorum, dum extremum supplicium subeundum fuit, ad bonam piamque mortem dispositus fuit non sine civitatis admiratione, quae societatis homines infima ista dediti nari antehac crediderat. Quibus omnibus laboribus et charitatis operibus populo alia longe quam habuerat prius de societate iniecta est persuasio et Patrem diutius illic non subsistere aegre admodum ipsis fuit; cumque Pater remunerationem omnem recusaret, 15 tamen florenos a magistratu pro aedificii promotione admittendos putavit, ne tenuis eorum beneficentia contempta videretur. Theonisvillam evocavit alium sacerdotem nostrum Wiltzius gubernator, ea re potissimum motus, quod ex oratione funebri quam in parentis exequiis unus e nostris habuerat, se vehementer affici sensisset. Itaque saepius per annum solemnioribus praesertim diebus illuc excurrendum fuit auditaeque populi frequentes confessiones, etiam ipsius gubernatoris totiusque familiae; conciones et catechismi habitu cum magno fructu, et variis charitatis operibus populus societati multum conciliatus.

Iam in ipsa Luxemburgensi civitate non minor erat PP. labor et cura in concionibus, catesibus et sacramentorum administratione. 15,000 in sacello nostro coelesti pane refecti hoc anno. Quam ad rem profuit iubilaeum a Paulo V. P. M. concessum. Rusticani populi id temporis tantus fuit concursus ut 12 sacerdotes iis in poenitentiae sacramento audiendis non sufficerent. Cum autem ex eiusdem pontificis maximi liberalitate quadraginta antecineralium dierum horis notae illae indulgentiae hoc anno concessae essent, magna fuit per illos dies confidentium et communicantium multitudo, quae ad millenarium fere ascendit. Ad vespertinas vero quae quotidie musice decabantur litanias et benedictionem SS. Sacramenti suscipiendam tantus populus concurrebat, ut templi parietes illum non caperent. Prorsus iam antecinerales dies in paschales dies videbantur

mutati, quo factum, ut prisca illa et malesana eo tempore usurpata licentia multum repressa fuerit.

Imago SS. Virginis Deiparae Aspricollensis (de qua superioribus annis) nescio quo infortunio e sacello nostro surrepta est; in eius locum alia substituta et maiori etiam pompa ad columnam, decenter ornato sacellulo ex Sebastiani Baur<sup>1)</sup>) vice-tribuni Barlemontii munificentia, collocata est. Referebatur ad eum locum praeluentibus cereis et 50 virginibus magnifice ornatis praecedentibus.

Inter dissidentes cives nostrorum industria pax conciliata. Honestae cuiusdam matronae pater, nescio qua de causa, filiae iam ab octennio offensus, domum eius venire recusabat; a sacerdote nostro inductus est ut alienationis istius et offensionis reliquias ex animo dimitteret, filiam iterum adiret et deinceps domum eius cum magna familiae illius laetitia frequentaret. Aliud periculosum inter excubidores cives et militem praesidiarium enatum dissidium Pater unus magno civitatis bono composuit et penitus extinxit. Adolescens quidam ab ancilla cui cohabitabat, nescio quo fascino dementatus, memoriam lupae istius speciemque animo pellere nullo studio poterat; iussus ab hera cui serviebat sacerdotem nostrum adire atque de peccatis confiteri, quo peracto appensaque cerei agni effigie mox importuno illo beneficio liberatus est. Septennis pusio a malefica muliere in montem quemdam ad veneficorum tripudia nefanda deductus; postquam, horrendis ibi spectris visis et daemone qui eum ad divini numinis eiurationem sollicitabat repulso, ad se rediit, tandem ad nostros adductus est; piis monitis adversus praestigias illas instructus, appensaque sacra cerei agni effigie deinceps a stygiis illis liber fuit decipulis.

Bulgarus quadragenarius, christianis quidem parentibus natus, sed in prima pueritia a Turcis captus, circumcisus, in errores simul et militiam eorum inductus est; contra nos pluri-

<sup>1)</sup> La famille de Baur, aujourd'hui éteinte, était patricienne de Kitzingen (royaume de Bavière). Sébastien de Baur de Kitzingen, seigneur de Brandenbourg, d'Esch et d'Everlange, est placé par Bertholet parmi les illustrations luxembourgeoises. L'archiduc Albert lui confia à plusieurs reprises le commandement de la place de Luxembourg. Sébastien de Baur est mort au château d'Everlange le 22 avril 1632. Voy. *Notices biographiques luxembourgeoises par le baron Emmanuel d'Huart. Publications de la Société archéologique, 1850, p. 129.*

bus annis in acie stetit. Tandem Pannonii captivum eum fecere diuque in vinculis ob lutri solvendi inopiam habuerunt. Ubi auxilium omne vinctus sibi deesse animadvertisit, primae suae originis et educationis memor, Deum ardentि prece invocare, veniam de delictis petere, de religione catholica penitus colenda cum coelestibus coepit pacisci. SS. Virginem Deiparam, S. Nicolaum aliuimque e coelitibus captivis liberandis clarum in vota accersit atque ad Deum pro se ablegat. Dormienti igitur Dei mater filiolum quasi gestans spectandam se oculis captivi sistit humeroque eius dextero attacto, libertatem spondet et ex oculis abit. Expergefactus cum quis sibi mortalium adsit circumspicit; nemine deprehenso ad somnum reddit. Mox senex canitie barbaque promissa venerandus adstitit et clara voce: „ora, inquit, Spiritum sanctum, brevi liber abibis.“ Id ab homine factum, et vix quintus dies effluxerat, cum adfuere milites catholici ex agro Luxemburgensi, quondam ad Ungaros profecti, qui diffractis compedibus, manicis aliisque ferramentis, quibus ei pedes, manus et collum adstricta tenebantur, liberum illum secum Luxemburgum adduxere. Hic ab uno e nostris coelestem Christi disciplinam eductus ita fuit, ut non vulgari virtute contentus, ordinis religiosi perfectionem ambierit et in sacram S. Bernardi familiam adscribi postularit, ubi in melioribus castris sub optimo imperatore Deo stipendia certiora meretur.

Scholasticae exercitationes pari fervore atque supra dictum floruere. Exhibitus in theatro Lazarus et dives Epulo ita proceribus plerisque placuit ut iterato eum exhiberi in aula sua Berlaimontius gubernator petierit. In studiorum instaurazione placuit etiam Gedeon in scenam datus: sed illud plurimum adiecit et adiumenti et commodi, quod novarum classium aulaeque structura hoc anno ad culmen deducta, deinceps usui iuuentutis esse cooperit.

Nobilis adolescens disciplinae nostrae haud pridem alumnus, postquam matrimonio iunctus castro cuidam praefectus sit, incolas vicinosque rerum fidei perquam ignaros expertus culturae manum admovit, hortando increpandoque sapere coelestia eos docuit, quin immo et ecclesiasticorum quorundam corruptelae modum pudoremque iniecit. Talis et uxor inter feminas fuit; nam et rusticanas legendi rosarii modum aliaque

pia opera docuit, et fragmenta cerei agni Luxemburgo petita byssō sericoque inclusa illis contra maleficia distribuit.

Et haec omnia quidem prospere feliciterque ad supremi numinis gloriam hoc anno per collegii huius incolas gesta sunt. Inter quae luctum ingentem, et nisi Deo ita visum fuisset, calamitatem, non modo collegium, sed civitas ac patria universa sustinuerunt, dum eruptus illis est optimus et veluti omnium dilectissimus parens P. Theodorus Ottonius Becanus, inde a 12 annis familiae nostrae superior. Is namque iam a multo tempore cum gravidis assiduisque morbis asthmate, calculo, podagra, chiragra, vertigine conflictatus, XVII. kal. februarii (16 ianuarii) vivere desit. Vir utique magnis naturae et gratiae dotibus exornatus, quibus id obtinuit ut Luxemburgi summis infimisque mirifice in deliciis fuerit, quam ei amicitiam sincera modestia, affabilitas, moderatio et singulare omnibus beneficiandi studium facile acquisivit. Accedebat festivus quidam religiosa modestia prudentiaque conditus lepor, qui se mirifice in hominum animos in privatis congressibus insinuabat, quos dein concionibus suis (quas Brandenburgicus sanctas appellare solebat) eruditis aequae ac piis ad optima quaeque impellebat. Quas ita constanter ad populum habebat, ut subinde tam debilis cathedram concenderet, ut suo iudicio vel extreimi digiti impulsu sterni potuisset: sed vincebat corpusculi debilitatem animi robur, ita ut etiam tam infirmo instrumento ad vitiorum monstra roboratasque consuetudines sternendas mens eius feliciter uteretur. Atque haec quidem publice et ad proximum se extendebat virtus, privatim domestici plures easque illustres observarunt, illam praesertim quod in tantis corporis cruciatibus supra omnem querelam animus, et velut alienorum malorum spectator duntaxat exstabat poteratque omnes officii sui partes obire et in opera omnia velut integer excubare. Immo si nova quaedam infirmitas ipsum invaderet, quam ante expertus non fuisset, benigne eam tanquam novam a Deo hospitem missam excipiebat: illud duntaxat erat ei in votis, quod etiam in supremo morbo identidem exoptabat, ut doloris modus cum aequali patientiae gradu incresceret. Cuius quidem morbi tempore incredibilis illius moderatio et erga omnes benignitas fuit. Cum aliena opera ad intimam vestem permutandam indigere

videretur eamque recusaret et mirarentur caeteri, quod praeter solitum tam aegre hac in re aliis instantibus acquiesceret, ioco admirationem illam elusit, se glandis ictu olim in sinistro brachio vulnus accepisse dictans, cauterium quod semper mirifica diligentia ita servaverat, ut nemo illud perceperit, sub-intelligens. Quotquot eum invisebant sive domestici sive externi, udis ab eo oculis recedebant, praesertim civitatis omnes primores, quibus omnibus et praecipue Benninckio praesidi suos domesticos veluti orphanos et pupilos pater sollicitus commendabat. Inter haec Patri spirituali eum animanti atque laborum plurimorum quos exantlasset praemium in propinquuo ostentanti: „atque, inquit, magis illud vereor ne mihi ingeratur: recepisti mercedem tuam:“ illam hominum erga se benevolentiam designans, quam aequa ac omnem popularem auram laudesque humanas magnopere semper suspectas habuit, ae veluti syrenes quasdam incantatrices evitabat. Hinc illud tam sollicitum de rebus suis silentium, ut nemo unquam domesticorum eum vel minimum de iis qui laudi sibi esse possent sermonem inferre meminerit. Ita eorum pro longiore eius vita orationes eodem modestiae affectu deprecabantur; decretum aiebat summo numini infructuosam infelicemque arborem, uti se rebatur esse, de solo quod tamdiu frustra occuparat amputari, tempus aliam meliorumque fructuum inserendi adesse. Atque hanc quidem excessus sui vicinitatem quodam mentis praesagio aliquanto ante visus est praesensisse. Nam Patre ministro rationem ei conscientiae reddente, cum insolita quadam mentis teneritudine: „age, inquit, mi Pater, in preces incumbe nunc diligentius, neque enim diu mihi videor fore superstes.“ Paulo post cum decubuisse, matura sollicitudine animum ad omnia sacramenta appulit neque de extrema unctione, quod firmior videretur, dubitare nostros sivit, sed mox eam sibi concedi voluit, secundum quam omnibus domesticis ut alter Iacob largam benedictionem impertivit; tum illa assidue in ore et corde habuit: „O bone Iesu, o Iesu, quando venies“ — et in illis verbis cogitatisque tandem ad felices beatorum sedes est translatus. Mansit post extremum spiritum in ore vultuque color quidam ac decor maior quam exsanguium esse soleat, ut, quamvis morbi tam frequentes eum deformassent, tamen vita functum non aversareris, sed amares.

Iam quantus in civitate fuerit ob mortem hanc, ubi ea innotuit, dolor dici credique vix potest. Evidem senatus Luxemburgensis mox cursorem sumptu publico Bruxellas illico mitten-dum curavit, qui litteras quibus de more provinciae nostrae suffragia peterentur quamprimum toto Belgio distribueret, unde factum ut Audomarenses<sup>1)</sup>, qui in extremis Morinis degunt, mirari satis non potuerint qua ratione tam veloces nuncii de morte optimi Patris pervenissent. Ad haec mandavit, ut illi tanquam patri apostoloque Luxemburgensium pompa funebris quam magnificentissimo apparatu itidem ex publico aerario instrueretur, ut triduo sonante in toto oppido aere campano luctus moerorque publicus ageretur, ut curiae parietes atro colore tristitiam communem testarentur et aedis S. Nicolai chorus etiam atratus dolorem publicum indicaret. In illum dein chorum funus delatum fuit honorificentissimo comitatu, ad quem sponte Patres Dominicanae et Franciscanae familiae frequentes convenerant; cereos vero ardentes qui de congregazione parthenica, magistratu ac concilio erant praeferebant, populo universo subsequente et preces pro illo ad Deum fundente. Depositum fuit corpus ad latus sinistrum arae principis, in eo sepulchro, quo uxor fundatoris templi illius<sup>2)</sup> condita olim fuerat, manseratque a ducentis annis intactum. Neque vero Luxemburgi solum in omnibus templis idque biduo (nam ne triduo fieret nostri invidiae metu deprecati sunt) lugubris iste campanarum sonus auditus fuit, sed in remotioribus etiam oppidis istius ditionis, praesertim Ivodii, a canonicorum isthic constituto collegio, et alibi passim a pastoribus quorum nemo vel paucissimi erant, qui se non ab optimo Patre auxilium aut beneficium accepisse referrent. Die secundo apud Franciscanos senatu praesente et id

<sup>1)</sup> Audomarois, habitants de St. Omer (du lat. Audomarus, Omer, saint qui a donné son nom à la ville de St. Omer).

<sup>2)</sup> Huius basilicae author fuit civis Luxemburgensis, opulentus tamen et nobilis, aemulus principis sui laudandus, dictus Hezelo. Anno 1120 aedificavit sacellum S. Nicolai in novo foro, tum necrum novae curiae aedificio arctato, fundum ad id concedente Wilhelmo comite . . . . Huius ecclesiae dignitas absoluta moxque crevit per Patres societatis Iesu qui ab anno 1592 circiter annos plus quam per viginti suas functiones in huius aedis sacello S. Clementis exercuerunt. Voy. *Origines basilicarum, ecclesiarum, templorum, capellarum, sacellorum, aedium aedicularumque sacrarum luxemburgensis urbis et suburbiorum. Manuscrit 1753 de la Bibliothèque royale de Bruxelles, fol. 181.* (D'après une copie communiquée par M. van Werveke).

volente iusta facta, tertio vero in S. Nicolai aede Benninckio praeside cum tota familia prae sente ei parentatum. Hoc Benninckius ipsi se debere dictabat, qui etiam, ut constantiorem tanti viri servaret memoriam, ipsum iamiam defunctum, quod vivus id non permisisset, depingendum curavit et domi sua asservavit. Imaginem deinde Becani Anna Benninckii filia collegio donavit. Denique in sacello curiae<sup>1)</sup> prae sentibus senatoribus per plures dies sanctissimum missae sacrificium Deo pro eius anima oblatum. Ita vir ille praestans, peractis in societate in diversis officiis annis 30, e quibus comitatui Luxemburgensi et civitati fere 14 impendit, vitam duxit et clausit, eiusmodi sui desiderio apud omnes relicto. Est enimvero cur societas et praecipue quos Luxemburgi degere contingit huius viri egregii memoriam magna cum gratitudine recolant. Nam quod collegium hoc stabilitum, structum, amplificatum fuerit, quod summam omnium ordinum benevolentiam experti sequentibus annis simus, quod labores Patrum tam propensis omnium animis et studiis excepti fuerint, id uni post Deum benignissimum Becano acceptum est referendum.




---

<sup>1)</sup> La chapelle de l'hôtel du Conseil provincial.